NICOLAI VIGELII IVRISCONSVLTI

METHODVS REGVLARVM VTRIVSQVE Iuris.

Accessit Rerum ac uerborum præcipuè memorabilium INDEX.



Cum Cæs. Maiest. Regisq; Galliarum gratia & priuilegio.

BASILEAE, TYPIS OPORINIANIS. 1584.

STRENVO AC NOBILI VIRO ECKBRECHTO DE MALSBVRGK, INFErioris *Haßiæ Proprincipi, Domino ſuo,*

NICOLAVS VIGELIVS I. C. S. D. P.

ACHILLES Græcorum dux quondam interrogatus, quos labores omnium difficillimos ſuſtinuiſſet: reſpondit, Suſceptos pro amicis. Idē rurſus interrogatus, quos ſuſtinuiſſet iucūdiſſimos: Eoſdē, inquit. Sic ego quoq; affirmare poſſum, & difficillimos & iucūdiſsimos labores me pro ſtudioſis iuris ſuſtinuiſſe: quò non tā fucoſa eloquentia, quàm Iuriſprudentia uera imbuti, de cauſis & cōtrouerſijs hominum certò & conſtanter iudicare potius ſcirēt, quàm perorando ac diſputādo litibus omnia miſcerent. Quod ut tandem eueniat, Chriſtianorū maximè intereſt.

Siquidem in hac re Turcarum quàm Chriſtianorũ conditio melior eſt. Nam apud Turcas Iuriſconſulti moribus hominum regendis ac iuri dicendo præficiuntur, qui & ius certum curant, & Iuriſprudentiam eloquentiæ præponunt, morumque conſtantia præſtant. Sed apud Chriſtianos contrà oratores, quorum omnis uis uirtusq; in lingua ſita eſt, quique perpetuò inter ſe diſsident, Iuriſcõſultis præferuntur. Iſti moribus hominum regendis præficiũtur, ipſi moribus præditi peſsimis: cumq; iuri dicendo præſint, ius certum aſpernantur, & (quod omnium peſsimum eſt) prima iudicandi principia ignorãt. Quæ res & Turcici imperij creſcentis, & Chriſtianorum decreſcentis cauſa præcipua eſt: quod uel ex ſentẽtia Chilonis Lacedæmonij, unius è ſeptẽ Græciæ ſapientibus, colligi poteſt, qui optimam eſſe Rempublicam pronũciauit, quæ maximè leges, minimè autem oratores audiat. Quam ſentẽtiam etiam Deus ipſo facto comprobare uidetur, dum Chriſtianos cum uxoribus ac liberis à Turcis in perpetuã ſeruitutem

abripi

abripi permittit, regesque ac Principes Christianorum tributarios Turcis constituit. Nec hoc nostris temporibus nouum est. Nam historiæ testátur, in quibus Rebuspublicis aliquãdo Eloquentiæ studium inoleuerit, in ijs prudentię & iusticiæ studium occidisse, omnem disciplinam solutam, magnamq́; Imperij mutationem secutam esse. Cuius ratio non est obscura. Cum enim ius sit quasi uinculum societatis humanæ, seu anima Reipublicę: Cicero eloquentiæ parens ipse testatur, ius certum finitumq́; ad oratores non pertinere, quasi omnis illorum actio in opinionib. potius ac disputationibus incertis, quàm in certo iure consistat. Hinc uidemus etiam eos de certo finitoq́; iure non esse solicitos, imò illud quodammodò abominari: quod uel meo exemplo docere possum. Etsi enim docti & prudentes uiri datis ad me literis testantur, me iter aperuisse ad certam finitamq́; Iurisprudentiam, antea incognitum & obsoletum, studiumq́; in ea re meum ualde laudant: tamen quanto magis in studijs Iurisprudentiæ adiu-

uandis laboro, tanto minus ſpei eſt mihi in oratoribus noſtris, qui non ſolùm prima iudicandi principia negant, ob quod mihi apud eos mea perijt Iuriſprudentia, ſed etiam omnia dicta factaq; mea captant, quò aliquam me calumniandi, nomenq; meum ſugillandi anſam arripiât: & quamuis illorum conuerſationem haud aliter ac grunnitum ſuis elephas fugiam, tamen illorum calumnias & obtrectationes effugere nequeo. Hinc fit, ut quem ob bene merita ſua laudet Germania, laudet Italia, laudet Gallia, laudet Hiſpania (quod ſine arrogantia ſcriptum uolo) eum rideat, uexet, contemnat, calumnietur Haſsia patria ſua. Tales honores, taliaque præmia pro meis laboribus, quos in adiuuandis iuris ſtudijs exhauſi maximos, ab oratoribus noſtris mihi ſunt expectanda. Si talem operam in lege Mahometica excolenda nauaſſem, qualẽ in utroq; Chriſtianorum Iure digerẽdo atq; illuſtrando nauaui, ipſos Turcas ſperarẽ mihi æquiores, quàm noſtros experior oratores. Aduerſus iſtos, qui moribus hominum

regendis,

regendis, iuriq; dicendo præficiuntur, ideoq; meis conatibus præ cæteris fauere atq; patrocinari debebant, patroni mihi quærendi sunt, quorum ope aduersus illorum calumnias & obtrectationes defendar. nec mea solùm interest, aduersus Sycophantarum morsus me defendi, sed etiam patriæ communis, quæ nobis debet omnium esse charissima: ne gloria mea, quam apud doctos & prudentes uiros ipse meis scriptis sine alterius ope facilè tuebor, in eius ignominiam apud exteros uergat. Quemadmodum igitur antea libellos meos aliquot Hassiæ nobilibus dedicaui, quò innocentia mea aliquod ad eos haberet refugium: sic nunc tibi, Strenue ac nobilis Proprinceps, Methodum hanc regularum utriusq; Iuris, in gratiam studiosorum à me conscriptam, dedico: quæ quamuis exigua sit, maximam tamen iuris naturalis, quod apud omnes gentes æquè obtinet, portionem complectitur. Siquidem pleræq; iuris regulæ non tam ex legibus, uel edictis prætorum, aut principum constitutionibus pendent,

quàm ex naturali ratione, quę apud omnes gentes æquè ualet: ac in caußis arbitrarijs, quę imperij magis sunt, quàm simplicis iurisdictionis, maximè uim suam obtinet. Hoc munus qualecunq; tibi, Strenue ac nobilis Proprinceps, hac epistola offero, simulq; me meaq; studia tuo patrocinio commendo. Vale.

ELENCHVS CAPITVM huius Methodi.

ME-

METHODVS REGVLARVM utriusque Iuris.

DE REGVLIS IVRIS in genere. Cap. I.

DVO *causarum genera in iudicia solent deduci: unum earum, quæ non nisi ex speciali legum authoritate ueniunt decidendæ, in quibus iudex non aliter iudicare potest, quàm legibus, constitutionibus aut moribus proditum est. Instit. de officio iudicis, in prin. quas* Ordinarias *causas appellamus. Alterũ earum causarum est, in quibus ob defectũ legum ius arbitrio iudicantis permittitur definiendum: quas nunc* Extraordinarias, *nũc* Arbitrarias *causas uocamus. Hoc est quod c. unaquæq;. §. fin. 13. quæst. 2. dicitur:* Quæ legib. definita sunt, mutare non licet. Quæ autem legibus expressa non sunt, arbitrium sequuntur humanæ uoluntatis. *Pro hac causarum uarietate præcepta quoque iuris, artis boni & æqui, distinguuntur, ut alia leges sint, alia regulæ. Quemadmodum enim leges ordinarijs cau-*

ſis decidendis deſeruiunt, ſic regulæ arbitrium instruunt iudicis. Triplex autem ſcopus, quò hoc iudicis arbitrium dirigatur, iudici eſt propoſitus: æquitas nimirum, utilitas alterutrius partis; & ueritas, ut lib. 4. Inſtit. mearum copioſius oſtendi. Regulæ igitur iuris ad hoc iudicis arbitrium instruendum pertinent, ut quid uel æquius, uel utilius, uel ueriſimilius in cauſa ſit, iudex perſpicere queat. Itaq; regularum uſus præcipuus eſt in cauſis & iudicijs extraordinarijs ſeu arbitrarijs: quanquam etiam in ordinarijs cauſis earum uſus eſſe poteſt. Nam rationes legum nihil aliud ſunt quàm regulæ iuris, quæ mentem legum explicant, pluresq; regulæ ex ipſis deſumptæ ſunt legibus. Non tamen eſt par legum & regularum authoritas. Siquidem legum authoritas neceſſaria eſt, à qua iudici recedere non licet. Regularum uerò authoritas non eſt neceſſaria, ſed tantùm probabilis, à qua iudex cauſa cognita recedere poteſt. Sunt enim (ut Ariſtoteles lib. 2. Rhetoricor. cap. de Solutionibus, teſtatur) multa probabilia inter ſe contraria, & regulæ regulis ſæpe eliduntur, ut lib. 4. Inſtitut. mear. cap. 5. exemplis demonſtraui. In huiuſmodi conflictionibus regularum ſeu argumentorum liberum iudicis arbitrium eſt decernendi, quod ſibi cauſa cognita æquius, utilius uel ueriſimilius uidetur: & quid-

quid

quid decreuerit, siue æquum, siue iniquum sit, uerum aut falsum, hoc ius erit: ut d. cap. 5. in fine ostendi. Ita ergo regulæ suam obtinent authoritatem, si iudici causa cognita non aliter uideatur, uel lex specialis in contrarium non extet. Nam regulæ cedunt legibus, nec iudici necessitatem decernendi imponunt. Huiusmodi regulas tum ex ciuili, tum ex pontificio Iure collectas in ordinem redigam, quemadmodum antea leges in ordinem redegi. Omnia enim (ut Quintilianus lib. 12. Instit. orator. cap. ult. scribit) breuiora reddit ordo, ratio & modus, firmaturq; iudicium doctrina ordine iusto instituta: nec aberrare uidentur, qui ipsam rerum naturam stare ordine putant, quo confuso peritura sint omnia. Cum autem ars naturam imitetur, nihil in tradendis artibus magis decet, quàm ut suo loco & ordine quæq; doceantur ac discantur. Hinc etiam ars definitur ordo constans ex præceptionibus consentientibus & coexercitatis ad finem utilem uitæ. Hic ordo cum in Iure arte boni & æqui desideretur, non mirum multos multam ætatem in eo cognoscendo frustra consumere, nec ad solidam eius cognitionem unquam peruenire. Antequam autem ad institutam regularum ordinem perueniamus, sciendum regulæ significationem duplicem esse: unam generalem, alteram specialem. Generali significatione leges

etiam

etiam regulæ appellatione continentur. Nam l.2. in fin.ff.de legibus, lex definitur regula iustorum & iniustorum. In qua significatione regulæ uocabulum hic non accipimus, sed in speciali significatione, qua regula definitur l.1.ff.de regulis iuris, in hæc uerba: Regula est, quæ rem quæ est, breuiter enarrat: non ut ex regula ius sumatur, sed ut ex iure quod est, regula fiat. *Per regulam igitur breuis rerum narratio traditur, & (ut Sabinus ait) quasi causæ coniectio, quæ simul cum in uno uitiata est, perdit officium suum. Rei uocabulum in hac definitione latißimè sumitur pro omni eo, quod non solùm de rebus, sed etiam de personis & actionibus generalißimè dicitur: cum aliâs à personis & actionibus res specie differat. Sic enim Caius* Iuriscon*sultus ait:* Omne ius quo utimur, uel ad personas pertinet, uel ad res, uel ad actiones. *l.1. ff.de statu hominum. Non autem pauciores personarum & actionum, quàm rerum, sunt regulæ: & possunt secundum hanc iuris diuisionem regulæ, quemadmodum & ipsæ leges, principaliter ad tria genera redigi: ut alias personarum, alias rerum, alias actionum regulas esse dicamus. Quorum singulorum generum species ordine subijciemus.*

DE

DE PERSONARVM regulis. *Cap. II.*

PErsonarum igitur regulæ partim generales sunt, partim speciales. Generales hæ sunt.

1. Homo est dignißima creaturarum. l.iustißime.44.in prin. cum sua glossa. ff. de ædilitio edicto.

2. Absurdum est, hominem in fructu esse: cum omnes fructus rerum natura hominũ gratia comparauit.l.in pecudum.28.in fin.ff.de usuris.

3. Naturalis est hominum ad dissentiendum facilitas. l.item si unus.17.§.principaliter. ff.de arbitris.

4. Homo ex animo & corpore constat. Diuersitatem autem corporum diuersitas sequitur animorum. c.diuersitatem.5. in prin. de conceßione præbendæ. Hæ & huiusmodi aliæ sunt personarum regulæ generales. Quod ad speciales personarum regulas attinet, sciendum, differentias & diuisiones personarum sumi partim ex ijs quæ insunt homini, partim ex ijs quæ sunt extra hominem. Insunt homini sexus, ætas, ualetudo, uirtutes & uitia tum animi, tum corporis, &c. Extra hominem sunt fortunæ bona maláue, ut status & conditio uitæ, libertas, seruitus, dignitas, res gestæ, & huiusmodi plura alia. Ad prius genus pertinent

tinet fœminæ, minores ætate, furiosi, prodigi, muti, surdi, stulti, negligentes, artifices, &c. Ad posterius uerò genus pertinent liberi, serui, filijfamilia rùm, clerici & monachi, magistratus & subditi, iudex, actor & reus, auctor & successor, locuples & pauper, &c. de quib. singulis ordine dicetur.

De fœminis.

1. *Maior dignitas est in sexu uirili. Ideoq; uir fœminæ, quamuis in maiori dignitate constitutæ, præferendus. l. 1. ff. de senatoribus.*

2. *Exemplo pessimum est, fœminino uocabulo etiam masculos contineri. l. si ita. 46. in prin. ff. de leg. 2.*

3. *Semper sexus masculinus fœmininum continet. l. qui duos. 60. in fin. ff. de leg. 3.*

4. *In multis iuris articulis deterior est conditio fœminarum quàm masculorum. l. in multis. 9. ff. de statu hominum.*

5. *Fœminæ ab omnibus officijs ciuilibus uel publicis remotæ sunt: & ideo nec iudices esse possunt, nec magistratum gerere, nec postulare, nec pro alio interuenire, nec curatores existere. l. 2. ff. de reg. iuris.*

6. *Defendi uxores à uiris, non uiros ab uxoribus, æquum est. l. 2. ff. de iniurijs. Inst. eod. tt. §. patitur. uers. contrà autem.*

7. *Mulier familiæ suæ & caput & finis est. l.*

pronun-

pronunciatio.195.§.fin.ff.de uerb.signif.

8. Maximum & præcipuum munus fœminarum est concipere, ac tueri conceptum. l.quæritur.14.§.1.ff.de ædilitio edicto.

9. Mulieribus tunc succurrendum est, cum defraudantur, non ut facilius calumnientur. l.in eo quod plus.110.§.fin.ff.de reg.iuris.

De minoribus ætate.

1. Impubes omnibus officijs ciuilibus debet abstinere.l.2.§.fin.ff.de reg.iuris.

2. Pupillus nec uelle, nec nolle in ea ætate (nisi adposita tutoris authoritate) creditur: nam quod animi iudicio fit, in eo tutoris authoritas necessaria est.l.pupillus.149.ff.d.tt.

3. Pupillus pati posse non intelligitur. d.l.in eo quod plus.110.§.pupillus.

4. Pupillus omnia negocia tutore authore agere potest.l.in negocijs.5.in fin.ff.de reg.iuris.

5. Pupillus qui proximus pubertati est, capax est doli & furandi & iniuriæ faciendæ. l. pupillum.111.in prin.ff.d.tt.

6. Neq; in interdicto, neq; in cæteris causis pupillo nocere oportet dolum tutoris, siue soluendo est, siue non est.l.neq; in interdicto.158.ff.d.tt.

7. Constat fragile esse & infirmum minoris ætatis consilium, & multis captionibus suppositum, multorumq; insidijs expositum. l.1.in prin.

ff.de

ff. de minoribus uigintiquinq; annis.

8. *Præsumptum est, ea mãcipia quæ rudia sunt, simpliciora esse, & ad ministeria aptiora & dociliora: trita uerò mancipia & ueterana difficile esse reformare, & ad suos mores formare. l. præcipiunt. 37. ff. de ædilitio edicto.*

De furiosis.

1. *Furiosi nulla uoluntas est. l. furiosi. 40. ff. de reg. iuris.*
2. *Furiosus nullum negocium contrahere potest. l. in negocijs. 5. ff. d. tt.*
3. *Furiosus absentis loco est. l. ubi non uoce. 166. §. fin. ff. d. tt.*
4. *Furiosus statum & dignitatem, in qua fuit, retinet. l. qui furere. 20. ff. de statu hominum.*

De prodigis quibus bonis interdictum est.

Eius cui bonis interdictum sit, nulla uoluntas est. l. furiosi. 40. ff. de reg. iuris.

De muto & surdo.

Vbi non uoce, sed præsentia opus est, mutus, si intellectum habet, potest uideri respõdere. Quod & de surdo dicendum. d. l. ubi non uoce. 166.

De peritis & diligentibus, stultis & negligentibus, necnon alijs qualitatibus personarum.

1. *Non debent melioris conditionis esse stulti quàm*

quàm periti. l. Seruius. 4. in fin. ff. quod ui aut clàm.

2. Non stultis, sed errantibus succurri solet. l. 9. §. quod si ideo. ff. de iuris & facti ignorantia.

3. Non negligentibus, sed necessitate rerum impeditis subueniendum. l. non enim. 16. ff. ex quibus causis maiores.

4. Ius ciuile uigilantibus scriptum est. l. pupillus. 24. §. fin. ff. quæ in fraudem creditorum.

5. Inter insolentiam iniuriosam & diligentiam non anbitiosam multum interest. l. si bene. 33. ff. de usuris.

6. Inter artifices longa differentia est & ingenij, & naturæ, & doctrinæ, & institutionis. l. inter artifices. 31. in prin. ff. de solutionibus.

7. Verecunda cogitatio eius qui lites execratur, non est uituperanda. l. 4. §. non tamen. ff. de alienat. iudicij mutandi causa.

8. Boni non solùm metu pœnarum, uerumetiam præmiorum exhortatione efficiendi. l. 1. §. 1. ff. de iusticia & iure.

9. In honoribus & dignitatibus distribuendis boni malis præferendi. l. ult. in prin. C. ad l. Iul. repetund. Nouell. 8. §. quapropter.

10. Semel malus, semper præsumitur malus. c. semel. 8. de reg. iuris, in 6.

11. Auaritia omnium malorum mater. Nouell.

8.§.in summa,hæc est omnium.

De ijs quæ sunt extra hominem.

Hactenus de priori genere differẽtiarum,quibus personæ distinguuntur, sumpto ex ijs quæ insunt homini,actum est. Sequitur de posteriori, quod sumptum est ex ijs quæ sunt extra hominem.

De marito & uxore,item de nuptijs.

1. *Nuptias non concubitus,sed consensus facit.l.nuptias.30.ff.de regulis iuris.*
2. *Vxor uiri dignitate ac priuilegijs gaudet. l. fœminæ.8.in prin.ff.de senatoribus.l.mulieres.13. C.de dignitatibus.*
3. *Defendi uxores à uiris, non uiros ab uxoribus,æquum est.l.2.ff.de iniurijs.Inst.eod.tt.§.patitur.uers.contrà autem.*
4. *Quid tam humanum est, quàm fortuitis casibus mulieris maritum, uel uxorem uiri participem esse? l.si cum dotem.22. §.si maritus. uers. quid enim.ff.soluto matrimonio.*
5. *Vir caput est uxoris,eaq; ei debet esse subiecta.c.est ordo.& c.manifestum.33.q.5.*
6. *Vir debet uirtute uincere, & exemplo suo uxorem regere.c.indignantur.& c.ult.32.q.6.*
7. *Bene concordantia matrimonia non turbanda.l.1.§.fin.ff.de liberis exhibendis.*

8. Matri-

8. Matrimonia debent esse libera. l.libera.2.C. de inutilibus stipulat. Concordat l.Titia.134. in prin. ff.de uerb. obligat. his uerbis: Inhonestum uisum est, uinculo pœnæ matrimonia obstringi, siue futura, siue iam contracta.

De parentibus & liberis.

1. Idcirco filios filiásue cōcipimus atq; edimus, ut ex prole eorum earúmue diuturnitatis nobis memoriam in æuum relinquamus. l. liberorum. 220.§.fin.ff.de uerb.signif.

2. Dulciori nomine non possumus nepotes nostros, quàm filij, appellare.d.§.fin.

3. Lex naturæ hæc est, ut qui nascitur sine legitimo matrimonio, matrem sequatur: nisi lex specialis aliud inducat.l.lex naturæ.24.ff.de statu hominum.

4. Qui in utero est, perinde ac si in rebus humanis esset, custoditur, quoties de cōmodis ipsius partus quæritur: quanquam alij, antequam nascatur, nequaquam prosit.l.qui in utero.7.ff.eod.tt.

5. Patria potestas in pietate debet, non atrocitate cōsistere.l.5.ff.ad l.Pompeiam de parricidijs.

6. Patria potestas inæstimabilis est. l.filiusfamiliâs.11.§.secundum uulgarem.ff.de leg.1.

7. Liberi parentibus reuerentiam & obsequiū debent, l.liberto.9.cum lege sequente. ff.de obse-

quijs libertorum.

8. *Interest nostra animum liberorum nostrorum non corrumpi. l. & tantùm.14.§.1.in fin.ff. de seruo corrupto.*

9. *Non modica filij ignominia est, si parentem seruum habeat. l.1. §.fin.cum lege sequente. ff.de liberali causa.*

10. *Filiusfamiliâs neq; retinere, neq; recuperare, neq; adipisci possessionem rei peculiaris uidetur. l.filiusfamiliâs.93.ff.de reg.iuris.*

11. *Nemo potest tutorem dare cuiquam, nisi ei quem in suis hæredib. cum moritur, habuit, habiturúsue esset, si uixisset. l.Quintus Mutius.73.§.1. ff.eod.tt.*

12. *Natura pater & filius eadem esse persona penè intelliguntur. l.ult.in fin.C.de impuberũ & alijs substit.*

De liberis hominibus & libertate.

1. *Liberum corpus non recipit æstimationem. l.ex hac lege.3. ff.si quadrupes pauperiem. & l. cum liberi.7.in fin.ff.de his qui deiecerint.*

2. *Libertas inæstimabilis res est. l.libertas.106. ff.de reg.iuris.*

3. *Infinita æstimatio est libertatis & necessitudinis. l.non est.136.in fin.ff.eod.tt.*

4. *Libertas omnibus rebus fauorabilior est.*

l.libertas.

l.libertas.164.ff.eod.tt.

3. *Casum aduersamq́; fortunam expectari hominis liberi,nec ciuile,nec naturale est.l.inter stipulantem.83.§.sacram.ibi: hæc dißimilia.ff.de uerb.obligat.*

6. *Nemo est dominus suorum membrorum.l. liber homo.13.in prin.ff.ad l.Aquiliam.*

De seruis & seruitute.

1. *Seruitutem mortalitati ferè comparamus.l. antepenult.ff.de reg.iuris.*

2. *Quod attinet ad ius ciuile, serui pro nullis habentur:non tamen & iure naturali:quia quod ad ius naturale attinet, omnes homines æquales sunt.l.quod attinet.32.ff.d.tt.*

3. *In personam seruilem nulla cadit obligatio. l.in personam.22.in prin.ff.d.tt.*

4. *Cum seruis nulla actio est.l.cum seruis.107. ff.d.tt.*

5. *Seruus naturaliter obligatur.l.naturaliter.13. in prin.ff.de condiction.indebiti.*

6. *In omnibus officijs,quæ fieri per liberas personas leges desiderant,seruus interuenire non potest.l.in omnibus.135.in prin.ff.de reg.iuris.*

7. *Seruus reipublicæ causa abesse non potest.l. ult.ff.eod.tt.*

8. *Seruus bona habere non potest, quemadmodum nec paterfamiliâs peculium. l.paterfamiliâs.*

miliâs.182.ff.de uerborum signific.

9. *Qui in seruitute est, usucapere non potest: nam cum poßideatur, poßidere non uidetur.l.qui in seruitute.160.ff.de reg.iuris.*

10. *Melior conditio nostra per seruos fieri potest: deterior fieri non potest.l.melior.175.ff.d.tt.*

11. *Aequum uidetur, non oportere cuiquam plus damni per seruum euenire, quàm quanti ipse seruus est.l.si seruus.63.§.quod uerò.ff.de furtis.*

De clericis & monachis.

1. *Opprobrium est clericis, si peritos se esse uelint disceptationum forensium. l.23. in fine. C.de testamentis.*

2. *Desijt miles seculi esse, qui factus est miles Christi. c.unico, in fin. de milite uasallo, qui arma bellica deposuit, in usibus feudorum.*

De magistratu & subditis.

1. *Non est singulis concedendum, quod per magistratum publicè poßit fieri: ne occasio sit maioris tumultus faciendi. l.non est.136. in prin. ff. de reg.iuris.*

2. *Non potest dolo carere, qui imperio magistratus non obtemperat.l.non potest.159.ff.d.tt.*

3. *Præses prouinciæ nõ acerbum se exactorem, nec contumeliosum præbere debet, sed moderatum, & cum efficacia benignum, & cum instantia humanum.l.si benc.33.ff.de usuris.*

4. Neq;

4. Neq; omnino, neq; semper, neq; ab omnibus xenia accipere debet. Nam ualde inhumanum est, à nemine accipere: sed paßim, uilißimum, & per omnia auarißimum. l. solent. 6. §. non uerò. ff. de officio proconsulis.

5. Quod alium facientem prohibere ex officio necesse habet, id ipse committere non debet. l. si al tius. 15. ff. si seruitus uendicetur.

6. Exemplum superioris inferiores sequuntur. c. magnæ. 7. §. prætereà. de uoto.

7. Integritas præsidentium, salus est subditorum. c. miramur. §. integritas. distinct. 61.

8. Totius familiæ status & ordo nutabit, si quod requiritur in corpore, non inueniatur in capite. d. c. miramur. §. nam totius.

9. Malè agitur, cum ab ijs iniuria proficiscitur, à quibus ius proficisci debebat.

De iudice.

1. Factum à iudice, quod ad officiũ eius non pertinet, ratum non est. l. factum. 129. ff. de reg. iuris. Concordat c. ea quæ fiũt. 26. de reg. iuris, in 6. his uerbis: Ea quæ fiũt à iudice, si ad eius nõ spectãt officium, uirib. non subsistunt.

2. Non est constantis & recti iudicis, cuius animi motum uultus detegit. l. 19. §. sed & in cognoscendo. ff. de officio præsidis.

3. Ita ius reddere iudex debet, ut authoritatem

dignitati ingenio suo augeat. d. §. sed & in cognoscendo.

4. *Pertinet ad officium iudicis, lites deminuere. l. quidam. 21. in fin. ff. si certum petatur.*

5. *In iudicijs non est acceptio personarum habenda. c. in iudicijs. 12. de reg. iuris, in 6.*

6. *Si iudices noluerint, nullus tam audax inuenietur, qui poßit inuito iudice litem protelare. l. properandũ. 11. §. sed omnes iudices. C. de iudicijs.*

De actore & reo.

1. *Fauorabiliores rei potius quàm actores habentur. l. fauorabiliores. 167. ff. de reg. iuris. Concordat c. cum sunt. 11. de reg. iuris, in 6. his uerbis:* Cum sunt partium iura obscura, reo fauendum est potius quàm actori.

2. *Non debet actori licere, quod reo non permittitur. l. non debet. 41. ff. de reg. iuris. Concordat c. non licet. 32. de regulis iuris, in 6. his uerbis:* Non licet actori, quod reo licitum non existit.

3. *In pari causa possessor potior haberi debet. l. in pari. 170. ff. de reg. iuris. Concordat c. in pari. 65. de reg. iuris, in 6. his uerbis:* In pari delicto uel causa potior est conditio possidentis. *Huius exemplum est l. cum par. 196. ff. de reg. iuris. ubi Vlpianus:* Cum *(inquit)* par delictũ est duorũ, semper oneratur petitor, & melior

melior habetur possessoris causa: sicut fit, cum de dolo excipitur petitoris: neq; enim datur talis replicatio petitori, Aut si rei quoq; in ea re dolo actum sit. *Aliud exemplum habetur l.1.§.fin.cum l.sequente. ff. ne quis eum qui in ius uocatus est, ut eximat.*

4. *Vbi non est actor, ibi neq; reus est, neq; iudex. Multa enim per patientiam tolerantur, quæ si deducta fuerint in iudicium, exigente iusticia non tolerarētur. c.cum iamdudum.18.§.fin.extr. de præbendis.*

De auctore & successore.

1. *Qui in ius dominiúmue alterius succedit, iure eius uti debet. l.qui in ius.137. ff.de reg. iuris. Concordat c.is qui.46.de reg.iuris, in 6. his uerbis:* Qui in ius succedit alterius, eo iure quo ille uti debebit.

2. *Hæredem eiusdem potestatis iurisq; esse, cuius fuit defunctus, constat. l.hæredem.59.ff.de regulis iuris.*

3. *Plerunque emptoris eadem debet esse causa circa petendum ac defendendum, quæ fuit authoris. l.inuitus.198.§.penult.ff.eod.tt.*

4. *Cum quis in alicuius locū successerit, non est æquum ei nocere hoc, quod aduersus eum non nocuit, in cuius locū successerit. d.l.inuitus.198.§.cū quis.*

 5. Quod

5. *Quod ipsis qui contraxerunt obstat, & successoribus eorum obstabit. l. quod ipsis. 185. ff. de reg. iuris.*

6. *Non debeo melioris conditionis esse, quàm author meus, à quo ius in me trãsit. l. in omnibus. 135. §. fin. ff. eod. tt. Cõcordat l. nemo. 54. ff. eod. tt. his uerbis:* Nemo plus iuris ad aliũ transferre potest, quàm ipse haberet. *Concordat item l. aliud. 120. §. fin. ff. eod. tt. his uerbis:* Absurdum est, plus iuris habere eum cui legatus sit fundus, quàm hæredem aut ipsum testatorem, si uiueret. *Concordat item l. nemo. 162. ff. eod. tt. his uerbis:* Nemo plus commodi hæredi suo relinquit, quàm ipse habuit. *Concordat item c. nemo potest. 79. de reg. iuris, in 6. his uerbis:* Nemo potest plus iuris transferre in alium, quàm sibi competere dinoscatur.

7. *Hi qui in uniuersum ius succedunt, hæredis loco habentur. l. in pari. 170. in fin. ff. de reg. iuris.*

8. *Prætor bonorum possessorem hæredis loco in omni causa habet. l. prætor. 117. ff. eod. tt.*

9. *Qui per successionem, quamuis longissimã, defuncto hæredes extiterunt, non minus hæredes intelligũtur, quàm qui principaliter hæredes extiterint. l. qui per successionem. 154. ff. eod. tt.*

10. *Omnia ferè iura hæredum perinde haben-*

tur,

tur, ac si continuò sub tempus mortis hæredes extitissent. l. omnia ferè. 153. ff. d. tt.

11. *Vni duo in solidum hæredes esse non possunt. l. quod contrà. 183. in fin. ff. eod. tt.*

De locupletibus & pauperibus.

1. *Nemo dubitat, soluendo uideri eum qui defenditur. l. nemo. 95. ff. de reg. iuris.*

2. *Qui rem alienam defendit, nunquam locuples habetur. l. qui rem alienam. 126. ff. eod. tt.*

3. *Locupletior non est factus, qui liberum adquisiuerit. l. nemo. 168. §. 1. ff. eod. tt.*

4. *Præposterum est, antè nos locupletes dici, quàm adquisierimus. l. precia. 63. ibi: esse autem. ff. ad l. Falcidiam.*

5. *Pauperes sunt, qui minus quàm quinquaginta aureos habent. l. nonnulli. 10. ff. de accusationibus.*

6. *Inopia debitoris reddit inanem actionem. l. nam is. 6. ff. de dolo malo.*

De natione hominis.

Natio quoq; personarum differentiam introducit. Quò pertinet regula hæc: Præsumptũ est, quosdam bonos esse, quia nationis sunt non infamatæ: quosdam malos uideri, quia ea natione sunt, quæ magis infamis est. l. quod si nolit. 31. §. qui mancipia. ff. de ædilitio edicto.

Hæc de regulis personarum.

DE

DE RERVM REgulis. Cap. III.

Alterum genus regularum circa res uersatur, quæ itidem duplices sunt, generales & speciales. Generales rerū regulæ partim de rebus adquirēdis, partim de ijs amittendis ac alienandis tractant. In rerum adquisitione potißimùm spectātur causæ seu modi quibus res adquiruntur, item personæ quibus & per quas adquirantur. Causæ seu modi adquisitionis habent suas exceptiones, quæ in sequentibus regulis continentur.

1. Non uidetur cepisse, qui per exceptionem à petitione remouetur. l. non uidetur. 13. ff. de reg. iuris. Concordat l. si quis. 115. in fin. ff. eod. tt. his uerbis: Non poteſt uideri accepiſſe, qui ſtipulatus poteſt exceptione ſubmoueri.

2. Non uidetur perfectè cuiusq; id esse, quod ex casu auferri potest. l. omnes. 181. in fin. ff. de reg. iuris. Plerunque tamen fit, ut etiam ea quæ à nobis abire possunt, perinde in eo statu sint, atq; si non essent eius conditionis, ut abire poßint. Et ideo quod fisco obligamus, & uendicare interdum, & alienare, & seruitutem prædio imponere possumus. l. plerunq; fit. 205. ff. eod. tt.

3. Non uidetur quisquam id capere, quod ei necesse

cesse est alij restituere.l.non uidetur.51.ff.eod.tt.

4. *Non uidetur data, quæ eo tempore quo dantur, accipientis non fiunt. l.non uidentur.127. in prin.ff.de reg.iuris.*

5. *Quod ei datur, qui iam est defunctus, quem dans uiuere credebat, pro non dato habetur.l.Neratius.151.ff.eod.tt.*

6. *Nemo ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest. l.non fraudantur.176. in fine.ff.eod.tt.*

7. *Iure naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimento & iniuria fieri locupletiorem. l. iure naturæ.206.ff.de reg.iuris. Concordat l.iure succursum.6. in fin. ff.de iure dotium, his uerbis:* Bono & æquo non conuenit, aut lucrari aliquem cum damno alterius, aut damnum sentire pro alterius lucro. *Item concordat c.locupletari.48. de reg.iuris, in 6.his uerbis:* Locupletari non debet aliquis cum alterius iniuria uel iactura. *Hæc de causis seu modis adquisitionis. sequitur de personis, quibus & per quas adquiritur.*

8. *Secundum naturam est, commoda cuiusque rei consequi eum, quem sequuntur incommoda.l. secundum.10.ff.de reg.iuris. Concordat c.qui sentire.55.de reg.iuris, in 6.his uerbis:* Qui sentire onus, sentire debet cōmodū: & contrà.

9. Quæ

9. *Quæ legata mortuis nobis ad hæredem nostrum transeunt, eorum commodum per nos his, quorum in potestate sumus, eodem casu adquirimus, aliter atq; quod stipulati sumus. Nam & sub conditione stipulãtes omnimodò eis adquirimus, etiamsi liberatis nobis potestate domini conditio existat. Sic etiam, si filius sub conditione stipulatus emancipatus fuerit, deinde extiterit conditio, patri actio competit: quia in stipulationibus id tempus spectatur, quo contrahimus. l. quæ legata. 18. ff. de reg. iuris. Hæc de rerum adquisitione. Sequitur de earum amißione & alienatione.*

10. *Ferè quibuscunq; modis obligamur, iisdem in contrarium actis liberamur: cum quibus modis adquirimus, iisdem in contrarium actis amittimus. Vt igitur nulla possessio adquiri nisi animo & corpore potest: ita nulla amittitur, nisi in qua utrunq; in contrarium actum est. l. ferè quibuscunq;. 195. ff. de reg. iuris. Concordat c. 1. extr. eod. tt. his uerbis:* Omnis res, per quascunque causas nascitur, per easdem dissoluitur.

11. *Qui potest inuitis alienare, multò magis & ignorantibus & absentibus potest. l. qui potest. 26. ff. d. tt.*

12. *Non uidetur rem amittere, cuius propria non fuit. l. non uidetur. 83. ff. d. tt. Cõcordat l. non*

potest.

*poteſt.208.ff.eod.tt.his uerbis:*Non poteſt uideri deſijſſe habere, qui nunquam habuit.

13. *Non alienat,qui duntaxat omittit poſſeßionem.l.non alienat.161.ff.d.tt. Concordat* J. *cap. prox.de* Pauliana *actione,reg.2.*

14. *Id quod noſtrum eſt, ſine facto noſtro ad alium transferri non poteſt. l.id quod noſtrum.11. ff.de reg.iuris.*

15. *Non intelligitur amiſſum, quod adquiſitum alteri non eſt. l.nec utilem.20.in fin. ff.ex quibus cauſis maiores. Vide item* J.*cap.7. de priuatiuis oppoſitis,reg.3.in fin.*

16. *Quod euincitur, in bonis non eſt. l. quod euincitur.150.ff.d.tt. Hactenus generales rerum regulas enumerauimus. Nunc ſpeciales ſubijciemus: in quibus diſtribuendis duæ rerum diuiſiones ſunt notandæ. Vna,quòd rerum aliæ ſint extrà noſtrum commercium,aliæ in noſtro commercio. Altera,quòd rerum aliæ ſint corporales,aliæ incorporales. Quod ad priorem diuiſionem attinet, notandum, res quæ extra noſtrum commercium ſunt,aut omnium communes eſſe,aut publicas,aut uniuerſitatis, aut nullius. Inſtit. de rerum diuiſ.in prin.*

De rebus quæ nullius ſunt.

Nullius ſunt res ſacræ,ſanctæ & religioſæ.Inſtit.

ſtit.d.tt.§.nullius autem.de quibus hæ regulæ notandæ.

1. Quod nullius eſſe poteſt,id ut alicuius fieret, nulla obligatio ualet efficere. l.quod nullius.142. ff.de reg.iuris.

2. Semel Deo dicatum, non eſt ad uſus humanos ulterius transferendum.c.ſemel.51.de reg.iuris,in 6.

3. Pro ſpiritualibus non præſtatur homagium. c.ult.extr.de reg.iuris. Hæc de rebus quæ extra commercium noſtrum ſunt. Res quæ in noſtro ſunt commercio,aut propriæ nobis ſunt, aut cum alio communes,aut alienæ.

De rebus proprijs.

1. Dominium rerum ex naturali poſſeſſione cœpit.l.1.in prin.ff.de adquir.poſſeſſione.

2. Non uidetur ſuum eſſe, quod uendicari non poſſit.l.Quintus.28.§.argento. ff.de auro legato.

3. Non ut ex pluribus cauſis deberi nobis idem poteſt, ita ex pluribus cauſis idem poteſt eſſe noſtrum.l.non ut ex.119.ff.de reg.iuris. Concordat Inſtit.de legatis.§.ſed ſi rem,his uerbis: Quod proprium alicuius eſt, id amplius eius fieri non poteſt.

4. Quilibet rerum ſuarum moderator atq; arbiter eſt.l.in rem.21.ibi:nam ſuæ quidem.C.mandati. Concordat l.2.in fin.ff.ſi à parente quis manumiſſus

numissus fuerit, his uerbis: Iniquum est, ingenuis hominibus non esse liberam rerum suarum alienationem. *Item concordat l.nec enim.9.ff.rerum amotarum, his uerbis:* Non æquum est, inuitum suo precio res suas uendere.

5. *Expedit reipublicæ, ne quis re sua malè utatur. Instit. de his qui sui uel alieni iuris sunt. §. sed & maior. ibi: expedit enim.*

6. *Alienum uidetur poßidere, qui partis non utitur, aut malè utitur. c. hæc utiq;.14.q.4.*

7. *Prodesse sibi unusquisque, dum alij non noceat, non prohibetur. l.1. §. ijdem aiunt, in fin. ff. de aqua pluuia arcenda. Cuius exemplum est d. l.1. §. de eo opere, in hæc uerba:* Sic debet quis meliorem agrum suum facere, ne uicini deteriorem faciat. *Aliud exemplum habetur l. domum. 61. ff. de reg. iuris, hisce uerbis:* Domum suam reficere unicuiq; licet, dum non officiat inuito alteri, in quo ius non habet.

8. *Domus cuiq; sua tutißimum ei refugium atq; receptaculũ est. l. pleriq;.18. ff. de in ius uocando.*

9. *Nemo de domo sua extrahi debet. l. nemo. 103. ff. de reg. iuris.*

De rebus communibus.

1. *In re communi prohibendi potius quàm fa-*

C *ciendi*

ciendi ius socio competit. l. an unus. 11. ibi: & magis. ff. si seruitus uendicetur. Cōcordat l. Sabinus, 28. in prin. ff. communi diuidundo, his uerbis: Sabinus ait, in re communi neminem dominorum iure facere quicquam inuito altero posse. Vnde manifestum est, prohibendi ius esse. In re enim pari potiorem esse causam prohibentis constat. *Concordat item c. in re communi. 56. de reg. iuris, in 6. his uerbis:* In re communi potior est conditio prohibentis.

2. *Naturale uitium est, negligi quod communiter possidetur: utq; se habere nihil, qui non totum habet, arbitretur: deniq; suam quoq; partem corrumpi patiatur, dum inuidet alienæ. l. 2. §. quorū nimiam. uers. naturale quippe. C. quando & quibus quarta pars debetur ex bonis decur.*

3. *Communio mater discordiæ. l. cum pater. 79. §. dulcissimis, in fin. ff. de leg. 2.*

4. *Propter immensas contentiones plerunque res ad diuisionem peruenit. l. in re communi. 25. §. itaq; propter. ff. de seruitut. urbanor. præd.*

5. *Nemo inuitus compellitur ad communionem. l. si non sortem. 26. § si centum. ff. de condict. indebiti.*

De rebus alienis.

1. *In alieno solo aucupari, uenari, aliúdue quid facere*

facere quis inuito domino soli non potest. l. diuus Pius. 16. ff. de seruitut. rusticor. prædior. l. quod enim. 3. §. planè qui. ff. de adquir. rer. dominio.

2. Inuitis nobis res nostras alius retinere non debet. l. si filiofamiliâs. 25. §. maritum, in fin. ff. soluto matrimonio.

Hactenus primam rerum diuisionem prosecuti sumus. Altera diuisione diximus rerum alias esse corporales, alias incorporales. Instit. de rebus corporalibus & incorporalibus, per totum. l. 1. §. quædam. ff. de rerum diuis. Corporales res aut mobiles sunt, aut soli siue immobiles.

De rebus mobilibus: puta de fructibus & pecunia.

Mobiles res sunt fructus primùm, deinde pecunia. De fructibus hæ regulæ sunt notandæ.

1. Omnes fructus rerum natura hominum gratia comparauit. Vide s. cap. prox. in prin. reg. 2.

2. Omnis fructus non iure seminis, sed iure soli percipitur. l. qui scit. 25. in prin. ff. de usuris.

3. Fructus pendentes pars fundi esse uidentur. l. fructus. 44. ff. de rei uendicat.

4. Fructus rei est, uel pignori dare licere. l. fructus. 71. ff. de reg. iuris.

De pecunia hæc regula notanda, Quòd pecunia sine peculio res fragilis dicta sit à ueteribus. l. si chorus. 77. §. 1. ff. de leg. 3. ubi peculium appel-

 latur,

latur, quod præsidij causa seponitur.

De domo.

Soli siue immobilis res est domus, cuius hæ sunt regulæ.

1. *Domus constat ex solo & superficie. l. eum qui. 23. in prin. ibi: ut puta cum. ff. de usucapionib.*
2. *Solum pars est ædium, nec subiacet uti mare nauibus. l. solum. 49. in prin. ff. de rei uendicat.*
3. *Domus pariete medio ædificato in duas diuisa, pro duabus domibus accipitur. l. si quis. 6. §. quod & in ædibus. ff. communia prædior. Hæc de rebus corporalibus sint dicta.*

Incorporales res sunt ea quæ in iure cōsistunt: qualia sunt tam personarum quàm rerum iura, eaq́; partim publica sunt, partim priuata. Publica sunt, dignitas, iurisdictio, ius legesq́;, consuetudo, æquitas, ueritas, & quæ pro ueritate accipitur, res iudicata. Siquidem iudicare munus publicum est. l. quippe. 78. ff. de re iudicata. postremò utilitas publica. de quib. singulis aliquot regulas ordine subijciemus: hoc præmisso, quòd res incorporalis traditionem & usucapionem non recipiat. l. seruus. 43. §. incorporales. ff. de adquir. rerum domin.

De dignitate.

1. *Ex conuersatione æquali contēptus dignitatis nascitur. l. obseruādū. 19. in prin. ff. de officio præsidis.*

2. In-

2. *Infamibus portæ dignitatum non patent. c. infamibus. 87. de reg. iuris, in 6.*

3. *Maior dignitas est in sexu uirili. de qua regula uide s̄. cap. prox. de fœminis, reg. 1.*

De iurisdictione & causæ cognitione.

1. *Iurisdictio sine modica coercitione nulla est. l. ult. in fine. ff. de officio eius cui mandata est iurisdictio.*

2. *Nemo potest gladij potestatem sibi datam, uel cuiusuis alterius coercitionis ad alium transferre. l. nemo. 70. ff. de reg. iuris.*

3. *Causæ cognitio imperij magis est quàm iurisdictionis: ideoq; magistratui municipali non permittitur. l. ea quæ. 26. ff. ad municipalem.*

4. *Vbicunq; causæ cognitio est, ibi Prætor desideratur. l. ubicunq;. 105. ff. de reg. iuris.*

5. *Omnia quæcunq; causæ cognitionem desiderant, per libellum expediri non possunt. l. omnia. 72. ff. d. tt. Concordat l. nec quicquam. 9. §. 1. ff. de officio procõsulis, hisce uerbis:* Vbi decretum necessarium est, per libellum id expedire Proconsul non poterit: omnia enim, &c. ut s̄.

6. *Par in parem nullum habet imperium. l. ille à quo. 13. §. tempestiuum. ff. ad S.C. Trebell.*

De iure & legibus, necnon de consuetudine.

1. *Ius hominum causa constitutum est.* Inst. *de iure naturali.§.fin.*

2. *Idcirco iudiciorum uigor, iurisq́; publici tutela in medio uidetur constituta, ne quisquam sibi ipsi permittere ualeat ultionem. l.nullus.13.* C.*de Iudæis.*

3. *Ius ciuile uigilantibus scriptum est.* Vide s. *cap.prox.de peritis & diligentibus,reg.4.*

4. *Ius finitum esse & potest & debet.* Facti *interpretatio plerunq; etiam prudentißimos fallit.l.2.ff.de iuris & facti ignor.*

5. *Turpe est patricio & nobili uiro & causas oranti ius in quo uersatur ignorare. l.2.§.Seruius autem.ff.de origine iuris.*

6. *Quæ rerum natura prohibentur, nulla lege confirmata sunt. l.ubi pugnantia.148. in fine.ff. de reg.iuris.*

7. *Iura sanguinis nullo iure ciuili dirimi possunt.l.iura.8.ff.d.tt.*

8. *Simplicitas legibus amica.* Instit.*de legitima adgnator.succeß.§.cæterùm.ibi:& hoc quidem.*

9. *Quæ semel aut bis accidunt, ea contemnunt legumlatores.l.nam ad ea.5.ff.de legibus. Concordat l.ea quæ.64.ff.de reg.iuris,hisce uerbis:* Ea quæ rarò accidunt, non temerè in agendis

gendis negocijs computantur.

10. *Quæ propter necessitatem recepta sunt, nõ debent in argumentum trahi. l. quæ propter. 122. ff. de reg. iuris. Concordat c. in argumentum. 78. de reg. iuris, in 6. his uerbis:* In argumentum trahi nequeunt, quæ propter necessitatem aliquando sunt concessa.

11. *Quod alicui gratiose conceditur, trahi non debet ab alijs in exemplum. c. quod alicui. 74. de reg. iuris, in 6.*

12. *Quod contra rationem iuris receptum est, non est producendum ad consequentias. l. quod contra. 183. ff. de reg. iuris. Concordat c. quæ à iure. 28. de reg. iuris, in 6. his uerbis:* Quæ à iure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda. *Vide item de hac regula 3. cap. 8. reg. 1. except. 1.*

13. *Error ius facit. l. 2. §. fin. ff. de supellect. legata.*

14. *Temporaria permutatio ius prouinciæ non innouat. l. nemo. 165. §. 1. ff. de reg. iuris.*

15. *Tolerabilia sunt quæ uetus cõsuetudo com probauit. l. Imperatores. 13. §. fin. ff. de pollicitationibus.*

16. *Non uerbis, sed ipsis rebus leges imponuntur. l. 2. §. fin. C. communia de legatis.*

17. *Distingue tempora, & concordabit scri-*

 ptura.

ptura.c.si peccauerit.§.distingue.2.quæst.1.

18. *Qui uetante prætore fecit, hic aduersus edictum fecisse propriè dicitur. l.qui uetante.102. in prim.ff.de reg.iuris.*

19. *Omnis definitio in iure ciuili periculosa est: rarum est enim, ut non subuerti poßit. l. omnis. 202.ff.d.tt.*

20. *A bono & æquo plerunq; sub authoritate iuris scientiæ perniciosè erratur. l.si seruum. 91. §.sequitur.ibi:scribit enim.ff.de uerb.obligat.*

21. *Leges non dedignantur sequi sacros canones. Nouell.83. §.si uerò ecclesiasticum. ibi: quas etiam.*

De æquitate.

1. *In omnibus quidem, maximè tamen in iure, æquitas spectanda est. l.in omnibus.90. ff.de reg. iuris.*

2. *Etsi nihil facilè mutandum est ex solennibus, tamen ubi æquitas euidens poscit, subueniendum est.l.etsi nihil.143.ff.d.tt.*

3. *Aequitas non solùm ex naturalibus, sed etiam ex ciuilibus præceptis sumenda est. l.bona fides. 31.ff.depositi.*

De ueritate.

1. *Veritas rerum erroribus gestorum non uitiatur.l.illicitas.6.§.ueritas.ff.de officio præsidis.*

2. *Propter scandalum euitandum ueritas non est omit-*

est omittenda.c.qui scandalizauerit.3.extr.de regulis iuris.

3\. *Plus ualet quod in ueritate actum est, quàm quod est in opinione.Inst.de legatis.§.si quis rem suam.*

4\. *Plus ualet quod agitur, quàm quod simulatè concipitur. Rubrica C.plus ualere quod agitur,&c.*

De re iudicata.

1\. *Res iudicata pro ueritate accipitur. l.res iudicata.207.ff.de reg.iuris.*

2\. *Sententia iniusta iudicem potius lædit,quàm eum in quem temerè fertur.c.nolite.§.fin.11.q.3.*

3\. *Ea sola deportationis sententia aufert, quæ ad fiscum perueniunt.l.ea sola.97.ff.de reg.iuris.*

4\. *Qui aliud fecit, quàm quod à Prætore decretum est, nibil egit. l.si pupillorum.7. §.si prætor.ff.de rebus minorum.*

De utilitate publica.

1\. *Vtilitas publica præferenda est priuatorum contractibus.l.3.C.de primipilo.*

2\. *Publicè non prodest,singulis legum adminicula denegari. l.unica. C. de sententijs præfectorum prætorio.*

3\. *Ciuitates priuatorum loco habentur. l.eum qui.16.in fin.ff.de uerb.significat.*

Hactenus res incorporales, quæ publici iuris

sunt, cum suis regulis exposuimus. nunc eas quæ sunt iuris priuati, subijciemus. Cuius generis sunt priuilegia, seruitutes, &c.

De priuilegijs & beneficijs.

1. *Quod ob gratiam alicui conceditur, non est in eius dispendium retorquendum. c. quod ob gratiam. 61. de reg. iuris, in 6.*

2. *Decet concessum à principe beneficium esse mansurum. c. decet. 16. d. tt.*

3. *Indultum à iure beneficium non est alicui auferendum. c. indultum. 17. eod. tt.*

4. *Priuilegia quædam causæ sunt, quædã personæ. Et ideo quædam ad hæredem transmittuntur, quæ causæ sunt: quæ personæ sunt, ad hæredem non transeunt. l. priuilegia. 196. ff. de reg. iuris. Concordat l. in omnibus. 68. ff. eod. tt. his uerbis:* In omnibus causis id obseruatur, ut ubi personæ conditio locum facit beneficio, ibi deficiente ea beneficium quoq; deficiat: ubi uerò genus actionis id desiderat, ibi ad quemuis persecutio eius deuenerit, non deficiat ratio auxilij. *Cõcordat item c. priuilegium. 7. de reg. iuris, in 6. his uerbis:* Priuilegium personale personam sequitur, & extinguitur cum persona.

5. *Beneficium datur propter officium. gloss. in c. ult.*

c.ult.in uerbo Perpetuus.extr.de officio uicarij.

6. Beneficium ecclesiasticum non potest licitè sine institutione canonica obtineri. c.1.de regulis iuris,in 6.

7. Beneficium non pertinet ad eum,qui non debet gerere officium. c.unico,in fine. de milite uasallo,qui arma bellica deposuit,in usib.feudorũ.

De seruitutibus.

1. Nulli res sua seruit. l. in re communi.25. in prin.ff.de seruitut.urbanor.prædior.

2. Loci seruientis corpus non est dominij eius, cui seruitus debetur, sed ius eundi habet. l.loci.4. in prin.ff.si seruitus uendicetur.

3. Publicè utile est, sine metu & periculo per itinera commeari. l.1.§.summa.ff.de his qui deiecerunt uel effuderunt.

Hæc de rebus etiam incorporalibus, quæ sunt iuris priuati, sint dicta. Quanquam præter eas quas exposuimus, sunt & plures aliæ. Nam hæreditas quoq;, obligatio, actio & exceptio inter res incorporales & iura priuata numerantur. Sed quia per has res tam personarum quàm rerum iura adquirimus, retinemus, & amissa recuperamus: ideo eas cum suis regulis ad tertium genus regularum, actionum uidelicet, de quo proximè sequitur, collocabimus.

DE

9. *Quæ legata mortuis nobis ad hæredem nostrum transeunt, eorum commodum per nos his, quorum in potestate sumus, eodem casu adquirimus, aliter atq; quod stipulati sumus.* Nam *& sub conditione stipulãtes omnimodò eis adquirimus, etiamsi liberatis nobis potestate domini conditio existat. Sic etiam, si filius sub conditione stipulatus emancipatus fuerit, deinde extiterit conditio, patri actio competit: quia in stipulationibus id tempus spectatur, quo contrahimus. l. quæ legata. 18. ff. de reg. iuris.* Hæc *de rerum adquisitione.* Se*quitur de earum amißione & alienatione.*

10. *Ferè quibuscunq; modis obligamur, iisdem in contrarium actis liberamur: cum quibus modis adquirimus, iisdem in contrarium actis amittimus.* Vt *igitur nulla possessio adquiri nisi animo & corpore potest: ita nulla amittitur, nisi in qua utrunq; in contrarium actum est. l. ferè quibuscunq;. 195. ff. de reg. iuris. Concordat c. 1. extr. eod. tt. his uerbis:* Omnis res, per quascunque causas nascitur, per easdem dissoluitur.

11. *Qui potest inuitis alienare, multò magis & ignorantibus & absentibus potest. l. qui potest. 26. ff. d. tt.*

12. *Non uidetur rem amittere, cuius propria non fuit. l. non uidetur. 83. ff. d. tt. Cõcordat l. non potest.*

*potest.208.ff.eod.tt.his uerbis:*Non potest uideri desijsse habere, qui nunquam habuit.

13. *Non alienat,qui duntaxat omittit possessionem.l.non alienat.161.ff.d.tt. Concordat* 7. *cap. prox.de* Pauliana *actione,reg.2.*

14. *Id quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest. l.id quod nostrum.11. ff.de reg.iuris.*

15. *Non intelligitur amissum, quod adquisitum alteri non est. l.nec utilem.20.in fin. ff.ex quibus causis maiores. Vide item* 7.*cap.7. de priuatiuis oppositis,reg.3.in fin.*

16. *Quod euincitur, in bonis non est. l. quod euincitur.150.ff.d.tt. Hactenus generales rerum regulas enumerauimus.* Nunc *speciales subijciemus: in quibus distribuendis duæ rerum diuisiones sunt notandæ.* Vna,*quòd rerum aliæ sint extra nostrum commercium,aliæ in nostro commercio. Altera,quòd rerum aliæ sint corporales,aliæ incorporales. Quod ad priorem diuisionem attinet, notandum, res quæ extra nostrum commercium sunt,aut omnium communes esse,aut publicas,aut uniuersitatis, aut nullius. Instit. de rerum diuis.in prin.*

De rebus quæ nullius sunt.

Nullius sunt res sacræ,sanctæ & religiosæ.Instit.

stit.d.tt.§.nullius autem.de quibus hæ regulæ notandæ.

1. *Quod nullius esse potest, id ut alicuius fieret, nulla obligatio ualet efficere. l.quod nullius.142. ff.de reg.iuris.*

2. *Semel Deo dicatum, non est ad usus humanos ulterius transferendum.c.semel.51.de reg.iuris,in 6.*

3. *Pro spiritualibus non præstatur homagium. c.ult.extr.de reg.iuris. Hæc de rebus quæ extra commercium nostrum sunt. Res quæ in nostro sunt commercio, aut propriæ nobis sunt, aut cum alio communes, aut alienæ.*

De rebus proprijs.

1. *Dominium rerum ex naturali possessione cœpit.l.1.in prin.ff.de adquir.possessione.*

2. *Non uidetur suum esse, quod uendicari non poßit.l.Quintus.28.§.argento.ff.de auro legato.*

3. *Non ut ex pluribus causis deberi nobis idem potest, ita ex pluribus causis idem potest esse nostrum.l.non ut ex.119.ff.de reg.iuris. Concordat Instit.de legatis.§.sed si rem,his uerbis:* Quod proprium alicuius est, id amplius eius fieri non potest.

4. *Quilibet rerum suarum moderator atq; arbiter est.l.in rem.21.ibi:nam suæ quidem.C.mandati. Concordat l.2.in fin.ff.si à parente quis manumissus*

numißus fuerit,his uerbis: Iniquum eſt,ingenuis hominibus non eſſe liberam rerum ſuarum alienationem. *Item concordat l.nec enim.9.ff.rerum amotarum,his uerbis*:Non æquum eſt,inuitum ſuo precio res ſuas uendere.

5. *Expedit reipublicæ,ne quis re ſua malè utatur.Inſtit.de his qui ſui uel alieni iuris ſunt. §.ſed & maior.ibi:expedit enim.*

6. *Alienum uidetur poßidere, qui partis non utitur,aut malè utitur.c.hæc utiq;.14.q.4.*

7. *Prodeſſe ſibi unuſquiſque, dum alij non noceat,non prohibetur. l.1. §.ijdem aiunt,in fin. ff. de aqua pluuia arcenda. Cuius exemplum eſt d. l.1.§.de eo opere,in hæc uerba*:Sic debet quis meliorem agrum ſuum facere, ne uicini deteriorem faciat. *Aliud exemplum habetur l.domum. 61. ff.de reg. iuris, hiſce uerbis*: Domum ſuam reficere unicuiq; licet, dum non officiat inuito alteri, in quo ius non habet.

8. *Domus cuiq; ſua tutißimum ei refugium atq; receptaculũ eſt.l.plerią;.18.ff.de in ius uocando.*

9. *Nemo de domo ſua extrahi debet. l.nemo. 103.ff.de reg.iuris.*

De rebus communibus.

1. *In re communi prohibendi potius quàm fa-*

ciendi ius socio competit. l. an unus. 11. ibi: & magis. ff. si seruitus uendicetur. Cõcordat l. Sabinus, 28. in prin. ff. communi diuidundo, his uerbis: Sabinus ait, in re communi neminem do minorum iure facere quicquam inuito altero posse. Vnde manifestum est, prohibendi ius esse. In re enim pari potiorem esse causam prohibentis constat. *Concordat item c. in re communi. 56. de reg. iuris, in 6. his uerbis:* In re communi potior est conditio prohibentis.

2. *Naturale uitium est, negligi quod communiter possidetur: utq; se habere nihil, qui non totum habet, arbitretur: deniq; suam quoq; partem corrumpi patiatur, dum inuidet alienæ. l. 2. §. quorũ nimiam. uers. naturale quippe. C. quando & quibus quarta pars debetur ex bonis decur.*

3. *Communio mater discordiæ. l. cum pater. 79. §. dulcissimis, in fin. ff. de leg. 2.*

4. *Propter immensas contentiones plerunque res ad diuisionem peruenit. l. in re communi. 25. §. itaq; propter. ff. de seruitut. urbanor. præd.*

5. *Nemo inuitus compellitur ad communionem. l. si non sortem. 26. § si centum. ff. de condict. indebiti.*

De rebus alienis.

1. *In alieno solo aucupari, uenari, aliúdue quid*

facere

facere quis inuito domino soli non potest. l.diuus Pius.16.ff.de seruitut.rusticor.prædior. l.quod enim.3.§.planè qui.ff.de adquir.rer.dominio.

2. *Inuitis nobis res nostras alius retinere non debet. l.si filiofamiliâs.25.§.maritum,in fin. ff.soluto matrimonio.*

Hactenus primam rerum diuisionem prosecuti sumus. Altera diuisione diximus rerum alias esse corporales, alias incorporales. Instit.de rebus corporalibus & incorporalibus,per totum.l.1.§.quædam.ff.de rerum diuis.Corporales res aut mobiles sunt,aut soli siue immobiles.

De rebus mobilibus:puta de fructibus & pecunia.

Mobiles res sunt fructus primùm,deinde pecunia.De fructibus hæ regulæ sunt notandæ.

1. *Omnes fructus rerum natura hominum gratia comparauit.Vide 5.cap.prox.in prin.reg.2.*

2. *Omnis fructus non iure seminis, sed iure soli percipitur.l.qui scit.25.in prin.ff.de usuris.*

3. *Fructus pendentes pars fundi esse uidentur. l. fructus.44.ff.de rei uendicat.*

4. *Fructus rei est,uel pignori dare licere.l.fructus.71.ff.de reg.iuris.*

De pecunia hæc regula notanda, Quòd pecunia sine peculio res fragilis dicta sit à ueteribus. l. si chorus.77. §.1. ff.de leg.3. ubi peculium appellatur,

latur, quod præsidij causa seponitur.

De domo.

Soli siue immobilis res est domus, cuius hæ sunt regulæ.

1. Domus constat ex solo & superficie. l. eum qui. 23. in prin. ibi: utputa cum. ff. de usucapionib.
2. Solum pars est ædium, nec subiacet uti mare nauibus. l. solum. 49. in prin. ff. de rei uendicat.
3. Domus pariete medio ædificato in duas diuisa, pro duabus domibus accipitur. l. si quis. 6. §. quod & in ædibus. ff. communia prædior. Hæc de rebus corporalibus sint dicta.

Incorporales res sunt ea quæ in iure cõsistunt: qualia sunt tam personarum quàm rerum iura, eaq́; partim publica sunt, partim priuata. Publica sunt, dignitas, iurisdictio, ius legesq́;, consuetudo, æquitas, ueritas, & quæ pro ueritate accipitur, res iudicata. Siquidem iudicare munus publicum est. l. quippe. 78. ff. de re iudicata. postremò utilitas publica. de quib. singulis aliquot regulas ordine subijciemus: hoc præmisso, quòd res incorporalis traditionem & usucapionem non recipiat. l. seruus. 43. §. incorporales. ff. de adquir. rerum domin.

De dignitate.

1. Ex conuersatione æquali contẽptus dignitatis nascitur. l. obseruãdũ. 19. in prin. ff. de officio præsidis.

2. In-

2. *Infamibus portæ dignitatum non patent. c. infamibus. 87. de reg. iuris, in 6.*

3. *Maior dignitas est in sexu uirili. de qua regula uide s̃. cap. prox. de fœminis, reg. 1.*

De iurisdictione & causæ cognitione.

1. *Iurisdictio sine modica coercitione nulla est. l. ult. in fine. ff. de officio eius cui mandata est iurisdictio.*

2. *Nemo potest gladij potestatem sibi datam, uel cuiusuis alterius coercitionis ad alium transferre. l. nemo. 70. ff. de reg. iuris.*

3. *Causæ cognitio imperij magis est quàm iurisdictionis: ideoq; magistratui municipali non permittitur. l. ea quæ. 26. ff. ad municipalem.*

4. *Vbicunq; causæ cognitio est, ibi Prætor desideratur. l. ubicunq;. 105. ff. de reg. iuris.*

5. *Omnia quæcunq; causæ cognitionem desiderant, per libellum expediri non possunt. l. omnia. 71. ff. d. tt. Concordat l. nec quicquam. 9. §. 1. ff. de officio procõsulis, hisce uerbis:* Vbi decretum necessarium est, per libellum id expedire Proconsul non poterit: omnia enim, &c. ut s̃.

6. *Par in parem nullum habet imperium. l. ille à quo. 13. §. tempestiuum. ff. ad S.C. Trebell.*

De iure & legibus, necnon de consuetudine.

1. *Ius hominum causa constitutum est.* Inst. *de iure naturali.* §. *fin.*

2. *Idcirco iudiciorum uigor, iurisq́; publici tutela in medio uidetur constituta, ne quisquam sibi ipsi permittere ualeat ultionem. l. nullus. 13.* C. *de Iudæis.*

3. *Ius ciuile uigilantibus scriptum est.* Vide s. *cap. prox. de peritis & diligentibus, reg. 4.*

4. *Ius finitum esse & potest & debet.* Facti *interpretatio plerunq; etiam prudentißimos fallit. l. 2. ff. de iuris & facti ignor.*

5. *Turpe est patricio & nobili uiro & causas oranti ius in quo uersatur ignorare. l. 2. §. Seruius autem. ff. de origine iuris.*

6. *Quæ rerum natura prohibentur, nulla lege confirmata sunt. l. ubi pugnantia. 148. in fine. ff. de reg. iuris.*

7. *Iura sanguinis nullo iure ciuili dirimi possunt. l. iura. 8. ff. d. tt.*

8. *Simplicitas legibus amica.* Instit. *de legitima adgnator. successſ. §. cæterùm. ibi: & hoc quidem.*

9. *Quæ semel aut bis accidunt, ea contemnunt legumlatores. l. nam ad ea. 5. ff. de legibus. Concordat l. ea quæ. 64. ff. de reg. iuris, hisce uerbis:* Ea quæ rarò accidunt, non temerè in agendis

gendis negocijs computantur.

10. *Quæ propter neceßitatem recepta sunt, nõ debent in argumentum trahi. l.quæ propter.122. ff.de reg.iuris. Concordat c.in argumentum.78. de reg.iuris,in 6.bis uerbis:* In argumentum trahi nequeunt, quæ propter necessitatem aliquando sunt concessa.

11. *Quod alicui gratiose conceditur, trahi non debet ab alijs in exemplum. c.quod alicui.74.de reg.iuris,in 6.*

12. *Quod contra rationem iuris receptum est, non est producendum ad consequentias. l.quod contra.183.ff.de reg.iuris. Concordat c.quæ à iure.28.de reg.iuris,in 6.his uerbis:* Quæ à iure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda. *Vide item de hac regula 3.cap.8.reg.1.except.1.*

13. *Error ius facit. l.2.§.fin. ff.de supellect. legata.*

14. *Temporaria permutatio ius prouinciæ non innouat.l.nemo.165.§.1.ff.de reg.iuris.*

15. *Tolerabilia sunt quæ uetus cõsuetudo com probauit. l.Imperatores.13. §.fin. ff.de pollicitationibus.*

16. *Non uerbis, sed ipsis rebus leges imponuntur.l.2.§.fin.C.communia de legatis.*

17. *Distingue tempora, & concordabit scri-*

ptura.c.si peccauerit.§.distingue.2.quæst.1.

18. Qui uetante prætore fecit, hic aduersus edictum fecisse propriè dicitur. l.qui uetante.102. in prin.ff.de reg.iuris.

19. Omnis definitio in iure ciuili periculosa est: rarum est enim, ut non subuerti poßit. l. omnis. 202.ff.d.tt.

20. A' bono & æquo plerunq; sub authoritate iuris scientiæ perniciosè erratur. l.si seruum. 91. §.sequitur.ibi:scribit enim.ff.de uerb.obligat.

21. Leges non dedignantur sequi sacros canones. Nouell.83. §.si uerò ecclesiasticum. ibi: quas etiam.

De æquitate.

1. In omnibus quidem, maximè tamen in iure, æquitas spectanda est. l.in omnibus.90. ff.de reg. iuris.

2. Etsi nihil facilè mutandum est ex solennibus, tamen ubi æquitas euidens poscit, subueniendum est.l.etsi nihil.143.ff.d.tt.

3. Aequitas non solùm ex naturalibus, sed etiam ex ciuilibus præceptis sumenda est. l.bona fides. 31.ff.depositi.

De ueritate.

1. Veritas rerum erroribus gestorum non uitiatur.l.illicitas.6.§.ueritas.ff.de officio præsidis.

2. Propter scandalum euitandum ueritas non est omit-

est omittenda.c.qui scandalizauerit.3.extr.de regulis iuris.

3. *Plus ualet quod in ueritate actum est, quàm quod est in opinione.Inst.de legatis.§.si quis rem suam.*

4. *Plus ualet quod agitur, quàm quod simulatè concipitur. Rubrica C.plus ualere quod agitur,&c.*

De re iudicata.

1. *Res iudicata pro ueritate accipitur. l.res iudicata.207.ff.de reg.iuris.*

2. *Sententia iniusta iudicem potius lædit,quàm eum in quem temerè fertur.c.nolite.§.fin.11.q.3.*

3. *Ea sola deportationis sententia aufert, quæ ad fiscum perueniunt.l.ea sola.97.ff.de reg.iuris.*

4. *Qui aliud fecit, quàm quod à Prætore decretum est, nihil egit. l.si pupillorum.7. §.si prætor.ff.de rebus minorum.*

De utilitate publica.

1. *Vtilitas publica præferenda est priuatorum contractibus.l.3.C.de primipilo.*

2. *Publicè non prodest,singulis legum adminicula denegari. l.unica. C. de sententijs præfectorum prætorio.*

3. *Ciuitates priuatorum loco habentur. l.eum qui.16.in fin.ff.de uerb.significat.*

Hactenus res incorporales, quæ publici iuris

sunt, cum suis regulis exposuimus. nunc eas quæ sunt iuris priuati, subijciemus. Cuius generis sunt priuilegia, seruitutes, &c.

De priuilegijs & beneficijs.

1. *Quod ob gratiam alicui conceditur, non est in eius dispendium retorquendum. c. quod ob gratiam. 61. de reg. iuris, in 6.*

2. *Decet concessum à principe beneficium esse mansurum. c. decet. 16. d. tt.*

3. *Indultum à iure beneficium non est alicui auferendum. c. indultum. 17. eod. tt.*

4. *Priuilegia quædam causæ sunt, quædã personæ. Et ideo quædam ad hæredem transmittuntur, quæ causæ sunt: quæ personæ sunt, ad hæredem non transeunt. l. priuilegia. 156. ff. de reg. iuris. Concordat l. in omnibus. 68. ff. eod. tt. his uerbis:* In omnibus causis id obseruatur, ut ubi personæ conditio locum facit beneficio, ibi deficiente ea beneficium quoq; deficiat: ubi uerò genus actionis id desiderat, ibi ad quemuis persecutio eius deuenerit, non deficiat ratio auxilij. *Cõcordat item c. priuilegium. 7. de reg. iuris, in 6. his uerbis:* Priuilegium personale personam sequitur, & extinguitur cum persona.

5. *Beneficium datur propter officium. gloss. in*

c. ult.

c.ult. in uerbo Perpetuus. extr. de officio uicarij.

6. Beneficium ecclesiasticum non potest licitè sine institutione canonica obtineri. c. 1. de regulis iuris, in 6.

7. Beneficium non pertinet ad eum, qui non debet gerere officium. c. unico, in fine. de milite uasallo, qui arma bellica deposuit, in usib. feudorũ.

De seruitutibus.

1. Nulli res sua seruit. l. in re communi. 25. in prin. ff. de seruitut. urbanor. prædior.

2. Loci seruientis corpus non est dominij eius, cui seruitus debetur, sed ius eundi habet. l. loci. 4. in prin. ff. si seruitus uendicetur.

3. Publicè utile est, sine metu & periculo per itinera commeari. l. 1. §. summa. ff. de his qui deiecerunt uel effuderunt.

Hæc de rebus etiam incorporalibus, quæ sunt iuris priuati, sint dicta. Quanquam præter eas quas exposuimus, sunt & plures aliæ. Nam hæreditas quoq;, obligatio, actio & exceptio inter res incorporales & iura priuata numerantur. Sed quia per has res tam personarum quàm rerum iura adquirimus, retinemus, & amissa recuperamus: ideo eas cum suis regulis ad tertium genus regularum, actionum uidelicet, de quo proximè sequitur, collocabimus.

DE

DE ACTIONVM Regulis. Cap. IIII.

POst personarum & rerum regulas supersunt regulæ actionum, quas nunc enumerabimus: hoc præmisso, quòd actionis appellatione hoc loco non solùm ius persequendi in iudicio, quod nobis debetur, contineatur, sed omnis causa iuris tum personarum, tum rerum adquirendi, retinendi & recuperandi, siue in iure, siue in facto consistat. Proinde sub actionum nomine hic complectimur etiam contractus & delicta, similesq; tum obligationum, tum actionum causas, item exceptiones cum suis causis. Nam agere etiam is uidetur, qui exceptione utitur. l.1. ff. de exceptionibus. Sed & litis contestationem, probationem, præsumptionem, & alios actus tam iudiciales quàm extraiudiciales, omniaq; hominum negocia, quibus forma à iure præscribitur, actionis appellatione comprehendimus. Primùm autem de actione, quatenus est ius persequendi in iudicio quod nobis debetur, cum suis causis agemus: postea de cæteris. Sunt autem actionum, perinde ac personarum rerumq; regulæ, partim generales, partim speciales.

De actionibus in genere.

Generales actionum regulæ sunt hæ.

1. Nemo

1. *Nemo sine actione in iudicio experiri permittitur. l.si pupilli.6.§.fin.uers.quamuis enim,cum sua glossa.ff.de negocijs gestis.*

2. *Ex legibus actiones compositæ sunt, quibus inter se homines disceptarent: quas actiones ne populus prout uellet institueret, certas & solennes esse uoluerunt.l.2.§.deinde ex his.ff.de origine iuris.*

3. *Qui actionem habet ad rem recuperandam, ipsam rem habere uidetur. l.qui actionem.15.ff.de reg.iuris.*

4. *Minus est actionem habere,quàm rem.l.minus.204.ff.eod.tt.*

5. *Nemo alieno nomine lege agere potest.l.nemo.165.in prin.ff.eod.tt.* Quibus actio competat?

6. *Alterius circumuẽtio alij non præbet actionem.l.alterius.49.ff.eod.tt.*

7. *De patre & domino eius qui quid stipulatus,uel cui quid legatũ est,quatenus actio ei competat, regula habetur l.quæ legata.18.ff.d.tt. cuius uerba uide s̃.cap.prox.reg.9.*

8. *Cum seruis nulla est actio. l.cum seruis.107. ff.de reg.iuris.* Aduersus quos competat actio?

9. *Graue est, non solùm legibus, uerumetiam æquitati naturali contrarium, pro alienis debitis alios molestari.l.1.C.ut nullus ex uicarijs.*

10. *Non debet alteri per alterum iniqua conditio*

ditio inferri.l.non debet.74.ff.de reg.iuris. *Concordat l.factum cuique.197.in prin. ff.eod.tt. his uerbis:* Factum cuiq; suum, non aduersario suo nocere debet. *Item concordat l. soluendo.38.ff.de negocijs gestis,hisce uerbis:* Naturalis simul & ciuilis ratio suadet,alienam conditionem meliorem etiam ignorãtis & inuiti nos facere posse: deteriorem non posse. *Item concordat l.paterfamiliâs.42. ff.de hæredibus instit. his uerbis:* Nemo alterius facto debet prægrauari. *Item concordat l.2.§.nullum.ff.de decurionibus, his uerbis:* Nullum patris delictum innocenti filio pœnæ est. *Item concordat l.is qui à debitore.9.ibi:quia dolus.ff.quæ in fraudem creditor.his uerbis:* Dolus alij,quàm qui eum admisit,nocere non debet. *Item concordat c.delictum. 76. de reg. iuris, in 6. his uerbis:* Delictum personæ non debet in detrimentum ecclesiæ redundare. *Planè habet regula proposita suas etiam exceptiones,quarum prima hæc est: Si alius nostro mandato quid fecit.* Nam *qui facit per alium,est perinde ac si faciat per seipsum. c.qui facit.72.de reg.iuris, in 6. Item deiecit & qui mandauit. l.hoc iure.194.§.1. ff.de reg.iuris.* Et *potest quis per alium,quod potest facere per seipsum. c.potest.68. de reg. iuris, in 6.*

in 6. Altera exceptio est: Si quis factum alterius ratum habuerit. Nam ratihabitio mandato comparatur. d.l. hoc iure. 194. §. ratihabitio. Concordat c. ratihabitionem. 10. de reg. iuris, in 6. his uerbis: Ratihabitionem retrotrahi, & mandato, non est dubium, comparari. Huius exceptionis replicatio est: Si non eius nomine, qui ratum habet, gestum sit. Nam ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum. c. ratum. 9. eod. tt. Tertia exceptio est: Si quis quod per se facere non potest, per alium fecerit: hoc enim casu non defenditur exceptione facti alieni. Nam quod quis suo nomine exercere prohibetur, id nec per subiectam personam agere debet. l. 2. §. 1. ff. de administrat. rer. ad ciuitates pertinent. Concordat c. quod alicui. 67. de reg. iuris, in 6. his uerbis: Quod alicui suo non licet nomine, nec alieno licebit. Hæc de decima regula.

11. Vnicuique sua mora nocet: quod & in duobus reis promittendi obseruatur. l. in condemnatione. 133. §. penult. ff. de reg. iuris.

12. Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari. c. quod omnes. 29. de reg. iuris, in 6.

13. Refertur ad uniuersos, quod publicè fit per maiorem partē. l. aliud est. 120. §. 1. ff. de reg. iuris.

14. Ex qua persona quis lucrum capit, eius fa-

ctum

ctum præstare debet. l.ex qua persona.191.ff.d.tit.

15. *Onus ad eum pertinet, qui commodum percipit. l.si igitur.55. in fin. ff.pro socio. l.unica. §. pro secundo, in fin. C. de caducis toll. Concordat c.rationi.77. de reg.iuris, in 6. his uerbis:* Rationi cōgruit, ut succedat in onere, qui subſtituitur in honore.

16. *Nemo ideo obligatur, quia recepturus est ab alio quod præstiterit. l.nemo.130.ff.de regulis iuris.*

17. *Iudicium redditur in inuitum. l.inter stipulantem. 83. §. Stichum. ibi: nam stipulatio. ff. de uerb.obligat.*

Quid ueniat in actione petendum?

18. *Cum uerbum Restituas in lege inuenietur, etsi nō specialiter de fructibus additum est, tamen & fructus sunt restituendi. l.in condemnatione. 133.§.1.ff.de reg.iuris.*

19. *Quatenus cuiusq; intersit, in facto, non in iure consistit. l.quatenus.24.ff.eod.tit.*

20. *Interesse eius uidetur, qui damnum passurus est, non eius qui lucrum est facturus. l.si is cui.73. §.fin.ff.de furtis.*

21. *Generaliter, cum de fraude disputatur, non quid habeat actor, sed quid per aduersarium habere non potuit, cōsiderandum est. l.generaliter. 78.ff.de reg.iuris.*

22. *In condemnatione personarum, quæ in id quod*

quod facere possunt damnātur, non totum quod habent extorquendum est, sed & ipsarum ratio habenda est, ne egeant. l. in condemnatione. 133. ff. de reg. iuris.

23. Quod à quoquam pœnæ nomine exactum est, id eidem restituere nemo cogitur. l. quod à quoquam. 46. ff. d. tt.

24. Ea quæ in partes diuidi non possunt, solida à singulis hæredibus debētur. l. ea quæ. 152. ff. d. tt.

25. In alternatiuis debitoris est electio. c. in alternatiuis. 70. de reg. iuris, in 6.

26. In omnibus obligationibus, in quibus dies non pònitur, præsenti die debetur. l. in omnibus. 14. ff. de reg. iuris. Quando competit actio?

27. Nihil peti potest ante id tempus, quo per rerum naturam persolui poßit. l. nihil peti. 146. ff. eod. tt.

28. Cum soluendi tempus obligationi additur, nisi eo præterito peti non potest. d. l. nihil peti.

29. Quod pendet, non est pro eo quasi sit. l. is damnum. 131. in fin. ff. d. tt.

30. Omnes actiones, quæ morte aut tempore pereunt, semel inclusæ iudicio saluæ permanent. l. omnes actiones. 181. ff. d. tt. Quamdiu competit actio?

31. Quoties cōcurrunt plures actiones eiusdem rei nomine, una tantùm quis experiri debet. l. nemo. 43. in fin. ff. eod. tt. Reliqua.

D 32. Si

32. *Si quis communi auxilio & mero iure munitus sit, non debet ei tribui extraordinarium auxilium. l. in causæ.16. in prin. cum sua glossa. ff. de minor. uigintiquinq; annis.*

33. *Natura rerum inductum est, ut plura sint negocia quàm uocabula. l. natura.4. ff. de præscriptis uerbis.*

De in rem actionibus.

Hactenus generales actionum regulas enumerauimus: sequuntur nunc speciales singularum actionum regulæ. Cum autem actionum aliæ in rem sint, aliæ in personam, Inst. de actionibus. §. omnium autem: prius de in rem, postea de in personam actionibus agemus. Sunt tamen in rem actionum regulæ partim generales, partim speciales. Generales in rem actionum regulæ sunt hæ.

1. *In rem actio datur aduersus possessorem rei. Inst. d. §. omnium autem. & l. in rem. 24. in prin. ff. de actionibus & obligat.*

2. *Qui dolo desijt possidere, pro possidente damnatur: quia pro possessione dolus est. l. qui dolo. 73. ff. de reg. iuris. Concordat l. parem. 192. ff. eod. tt. his uerbis:* Parem esse conditionem oportere eius qui quid possideat, uel habeat, atq; eius cuius dolo malo factum est, quo minus possideret uel haberet. *Item concordat l. ad ea. 199. §. 1. ff. d. tt. his uerbis:*

Semper

Semper qui dolo fecit quo minus haberet, pro eo habẽdus est ac si haberet. *Item concordat c.pro possessore.36.de reg.iuris, in 6.his uerbis:* Pro possessore habetur, qui dolo desijt possidere.

3. *Longè commodius est ipsum possidere, & aduersarium ad onera petitoris cõpellere, quàm alio possidente petere. l.is qui destinauit.25.ff.de rei uendicat.*

4. *Actio nunquam ultrò possessori datur: quippe cum sufficiat ei quòd possideat. l.1. §.interdictum.ff.uti possidetis.*

5. *Bona fides tantundem possidenti præstat, quantum ueritas, quoties lex impedimento non est.l.bona fides.178.ff.de reg.iuris.*

De petitione hæreditatis.

Hactenus generales in rem actionis regulas enumerauimus. Sequuntur nunc speciales: & primùm petitionis hæreditatis. Nam *hæc in rem actio est. l.sed etsi.25. §.petitio. ff.de petitione hæreditatis.*

1. *Hæreditas nihil aliud est, quàm successio in uniuersum ius, quod defunctus habuerat. l.hæreditas.62.ff.de reg.iuris.*

2. *Ius nostrum non patitur eundem in paganis & testatò & intestatò decessisse: earumq; rerũ naturaliter inter se pugna est.l.ius nostrũ.7.ff.d.tt.*

3. *Quamdiu poßit ualere testamentum, tamdiu legitimus non admittitur. l. quamdiu. 89. ff. d. tt.*

4. *Si nemo subijt hæreditatem, omnis ius testamenti soluitur. l. si nemo. 141. ff. d. tt.*

5. *Non uult hæres esse, qui ad aliũ uoluit transferre hæreditatem. l. non uult. ff. de reg. iuris.*

6. *Quoties duplici iure defertur alicui successio, repudiato nouo iure quod antè defertur, supererit uetus. l. quoties. 91. ff. d. tt.*

7. *Quò tutela redit, eò & hæreditas peruenit: nisi cum fœminæ hæredes intercedunt. l. Quintus Mutius. 73. in prin. ff. d. tt.*

8. *Omnis hæreditas, quamuis postea adeatur, tamen cum tempore mortis continuatur. l. omnis hæreditas. 180. ff. d. tt.*

De actione hypothecaria.

Et hæc actio in rem est. l. pignoris. 17. ff. de pignoribus & hypothecis: cuius hæc est regula, seu potius exceptio:

Creditor qui permittit rem uenire, pignus dimittit. l. creditor. 118. ff. de reg. iuris.

De obligationibus, & in personam actionibus.

Alterum genus actionum est in personam, quæ ex obligatione aliqua oriuntur. Instit. de actionibus. §. omnium autem. Ideoq; obligationum quoq; regulæ hoc loco sunt inserendæ. Obligatio uerò

aut

aut naturalis est, aut ciuilis.

1. Is natura debet, quem iure gentium dare oportet, cuius fidem secuti sumus. l. cum amplius. 84. in fin. ff. de reg. iuris.

2. Naturalis obligatio solo æquitatis uinculo sustinetur. l. Stichũ. 95. §. naturalis. ff. de solutionib.

3. Ex naturali obligatione non datur actio, sed exceptio tantùm, exemplo l. iurisgentium. 7. §. sed cum nulla. ff. de pactis. l. naturaliter. 13. §. fin. cum l. sequente. ff. de condict. indebiti. l. sed etsi. 11. §. fin. cum l. sequente. ff. ad S.C. Macedonianum. l. naturales. 9. ff. de action. & obligat.

4. Ciuilis obligatio aut ex contractu competit, aut ex quasi contractu, aut ex maleficio, aut ex quasi maleficio. Instit. de obligat. §. sequens diuisio. De contractibus & maleficijs cum suis actionibus tam in genere, quàm in specie ordine dicetur.

De contractibus & pactis conuentis in genere.

1. Bona fides in contractibus consideratur. l. bonam fidem. 4. C. de obligat. & action.

2. Nihil tam congruum fidei humanæ, quàm ea quæ placuerint inter eos seruare. l. 1. in prin. ff. de pactis.

3. Quod semel placuit, amplius displicere non potest. c. quod semel. 21. de reg. iuris, in 6. Quæ re-

gula in ultimis uoluntatibus non obtinet. Nam in his ambulatoria est uoluntas defuncti usq; ad uitæ supremum exitum. l.quod si.4.in fin.ff.de adimendis legatis. Sed nec in proprijs negocijs cum alio non communibus locum habet. In his enim nemo sibi ipsi legem dicere potest, à qua non possit recedere. l.si quis.22.in prin.ff.de leg.3.l.quod autem.7. §.uxori. ibi:quia uenditor. ff.de donat. inter uir.& uxorem.

4. *Graue est fidem fallere.l.1.in prin.ff.de constituta pecunia.*

5. *Bona fides æquitatem summam desiderat.l. bona fides.31.in prim.ff.depositi.*

6. *Bona fides exigit,ut quod conuenit fiat.l.cũ uenderem.22.ff.locati.*

7. *Bona fides contraria est fraudi & dolo. l.ea uerò.3.§.fin.ff.pro socio.l.contractus.23.uers.excepto eo.ff.de reg.iuris.*

8. *Bona fides non patitur, ut bis idem exigatur. l.bona fides.57.ff.d.tt. Concordat c.bona fides.83.de reg.iuris,in 6.his uerbis:* Bona fides non patitur, ut semel exactum iterum exigatur.

9. *Bonæ fidei non congruit de apicibus iuris disputare.l.si fideiussor.29.§.quædã.ff.mandati.*

10. *Contractus legem ex conuentione accipiunt. d.l.contractus. 23. uers.nam hoc seruabitur. &c.*

& c.contractus.85. de reg. iuris, in 6. his uerbis: Contractus ex conuentione legem accipere dignoſcuntur.

11. *Cum res per pactũ formæ ſuæ redditur, non fit paciſcentis conditio deterior, exemplo l.ſi unus.28. §.ſed ſi pactum conuentum, in fine. ff.de pactis.*

12. *Fruſtra ſibi fidem præſtari petit, qui eam non præſtat.c.fruſtra.75.de reg.iuris,in 6.*

13. *Priuatorum conuentio iuri publico non derogat.l.neq; pignus.45.in fin.ff.de reg.iuris.Concordat l.nec ex prætorio.27. ff.eod.tt. his uerbis:* Nec ex prætorio, nec ex ſolenni iure priuatorum conuentione quidquam immutandum eſt:quamuis obligationum cauſę pactione poſſunt immutari & ipſo iure,& per pacti conuenti exceptionem:quia actionum modus uel lege, uel per prætorem introductus, priuatorum pactionibus non infirmatur: niſi tũc, cum inchoatur actio, inter eos conuenit. *Huius regulæ exceptio eſt: Si pactum priuatorum non ad publicam læſionem, ſed tantùm ad rem familiarem ſpectat. Nam omnes licentiam habent ijs quæ pro ſe introducta ſunt, renunciare. l.ſi quis.29.uerſ.cum alia.C.de pactis. de qua re uide item ℑ.cap.6.circa finem.*

14. Verum est, neq; pacta, neq; stipulationes factum posse tollere: quod enim impoßibile est, neque pacto, neq; stipulatione potest comprehendi, ut utilem actionem aut factum efficere poßit. l. uerum est. 31. ff. de reg. iuris.

15. Neq; pignus, neq; depositum, neq; precariũ, neq; emptio, neque locatio rei suæ consistere potest. l. neq; pignus. 45. ff. d. tt.

16. Nec paciscendo, nec legem dicendo, nec stipulando quisquam alteri cauere potest. l. Quintus Mutius. 73. §. fin. ff. d. tt.

17. Vniuscuiusq; contractus & initium spectandum est, & causa. l. si procuratorem. 8. in prin. ff. mandati. l. si id. 58. §. si filiusfamiliâs. ff. pro socio. & l. si tamen. 12. in fin. ff. ad S.C. Macedonianum.

18. Origo potius obligationis, quàm titulus actionis considerandus. l. 3. in fin. C. ad S.C. Macedon. Hæc de contractibus & pactis conuentis in genere sunt dicta: nunc de ijs eorumq; actionibus in specie dicendum.

De stipulationibus & alijs cautionibus.

1. Plus cautionis in rem est, quàm in personam. l. plus cautionis. 25. ff. de reg. iuris.

2. In stipulationibus ius continetur, in pactis factum uersatur. l. si unus. 28. §. pactus ne peteret. ff. de pactis.

3. Non

3. *Non est obligatorium contra bonos mores præstitum iuramentum. c. non est. 58. de regulis iuris, in 6.*

4. *In malis promißis fidem non expedit obseruari. c. in malis. 69. eod. tt.*

5. *In stipulationibus id tempus spectatur, quo contrahimus. l. non omne. 186. in fin. ff. de reg. iuris. Concordat l. quæ legata. 18. in fin. ff. eod. tt. ubi etiam exẽplo declaratur. Verba eius uide s̃. cap. prox. reg. 9.*

6. *Stipulatio interpretanda pro natura rei, cui interposita est, exemplo l. si eum. 10. §. qui iniuriarum. ff. si quis cautionibus in iudicio sistendi causa. & l. si stipulatus. 4. in prin. ff. de usuris.*

De emptione & uenditione.

1. *Aliud est uendere, aliud est uendenti consentire. l. aliud est. 120. in prin. ff. de reg. iuris.*

2. *Cum quis potest alienare, poterit & consentire alienationi. l. cum quis. 125. in prin. ff. eod. tt.*

3. *Cui ius est donandi, eidem & uendendi & concedendi ius est. l. cui ius est. 123. ff. eod. tt.*

4. *Imaginaria uenditio non est precio accedente. l. imaginaria. 16. ff. eod. tt.*

De donatione.

1. *Donari uidetur, quod nullo iure cogente conceditur. l. donari. 82. ff. de reg. iuris.*

2. *Cuius per errorem dati repetitio est, eius con*

sultò dati donatio est.l.cuius per errorē.53.ff.d.tt.
3. *Cui donare non conceditur, probandum erit, nec si donationis causa consenserit, ratam eius uoluntatem habendam.l.cum quis.125.in fin.d.tt.*
4. *Inuito beneficium non datur.l.inuito.69.ff.d.tt. Concordat l.inuitus.198.§.fin.ff.eod.tt. his uerbis:* Quod cuiq; pro eo præstatur, inuito non tribuitur.
5. *Qui ex liberalitate sua conueniuntur, in id quod facere possunt condemnandi sunt. l. diuus Pius.28.ff.eod.tt.*
6. *Species lucri est, ex alieno largiri, & beneficij debitorem sibi adquirere.l.si pignore.56.§.1. ff.de furtis.*
7. *Beneficio affici hominem, interest hominis. l.seruus.7.§.fin.ff.de seruis exportandis.*
8. *Ad antidora quis naturaliter obligatur.l.sed etsi lege.28.§.consuluit. ibi:quamuis ad remunerandum.ff.de petit.hæreditatis.*

De mandato, eiusq; actione.

1. *Semper, qui non prohibet pro se interuenire, mandare creditur. Sed etsi quis ratum habuerit quod gestum est, obstringitur mandati actione.l.semper.60.ff.de reg.iuris.*
2. *Consilij non fraudulenti nulla obligatio est. Cæterùm si dolus & calliditas intercesserit: de dolo actio competit.l.consilij.47.ff.d.tt. Concordat c.nullus.*

c.nullus.62.de reg.iuris,in 6.his uerbis: Nullus ex consilio (dummodò fraudulentum non fuerit) obligatur.

De societate,eiusq; actione.

Socij mei socius,meus socius non est.d.l.consilij.47.in fin.Hæc de contractibus eorumq; actionibus sint dicta. Sequitur de maleficijs horumq; actionibus,primùm in genere,postea in specie.

De maleficijs,eorumq; actionibus.

1. *Maleficia non debent esse impunita. l.si ita.51.§.fin.ff.ad l.* Aquiliam.

2. *Pœnas ob maleficia solui magna ratio suadet. l.si à reo.70.§.id quod uulgo.ff.de fideiussoribus.*

3. *Peccata nocentium nota esse & oportet & expedit.l.eum qui.18.in prin.ff.de iniurijs.*

4. *Maleficia uoluntas & propositum delinquentis distinguunt. l.qui iniuriæ.55.in prin.ff.de furtis.*

5. *In maleficijs uoluntas spectatur, non exitus. l.diuus* Hadrianus.*14. ff. ad l. Cornel. de sicarijs. Concordat l.in lege.7.ff.eod.tt.his uerbis:* In lege Cornelia dolus pro facto accipitur. *Item concordat l.fraudis interpretatio.79.ff.de reg.iuris,hisce uerbis:*Fraudis interpretatio semper in iure ciuili non ex euentu duntaxat,sed ex consilio quoq; consideratur.

tur. Concordat item c.sicut. §.fin.cum duob.sequentibus,distinct.47.

6. Dolus omnino puniendus,etiamsi ei tantùm, qui eum admisit,damnosius sit futurus. l.si procurator.11.§.fin.ff.de doli mali except.

7. Illi debet permitti pœnam petere, qui in ipsam non incidit.l.cū par.196.§.fin.ff.de reg.iuris.

8. Paria delicta mutua pensatione dissoluuntur. l.uiro.39.ff.soluto matrimonio.

9. Dolo malo non uidetur facere, qui iure suo utitur.l.3.§.is tamen.ff.de libero homine exhibendo. cuius exceptionem uide]. in damni iniuriæ actione,reg.2.

10. Peccata suos tenere debent authores.c.quæsitum.2.§.fin.de his quæ fiunt à maiori parte.

11. Ex pœnalibus causis non solet in patrem de peculio actio dari.l.ex pœnalib.58.ff.de reg.iuris.

12. Facientes & consentientes par pœna constringit.c.facientes.dist.86.

13. In hæredē non solent actiones transire,quæ pœnales sunt ex maleficio: ueluti furti,damni iniuriæ,iniuriarum,ui bonorum raptorum.l.pupillum.111.§.1.ff.de reg.iuris. Cuius exceptio prima est: Si aduersus defunctū actio pœnalis sit inchoata.Nam pœnalia iudicia semel accepta in hæredes transmitti possunt. l.pœnalia.124.ff.eod.tt. Concordat l.omnes actiones.181.in prin.ff.eod.tt.

cuius

cuius uerba uide s. eod. cap. in prin. reg. 30. Item concordat l. nemo enim. 87. ff. eod. tt. cuius uerba uide j. cap. 7. in prin. reg. 2. Altera exceptio est: Si ex delicto defuncti aliquid ad hæredem peruenit: hoc enim ei extorquendum est. Nam sicuti pœna ex delicto defuncti hæres teneri non debet, ita nec lucrũ facere, si quid ex ea re ad eum peruenisset. l. sicuti hæres. 38. ff. de reg. iuris. nec distinguitur, quamuis id quod ad eum peruenit, rursus amiserit: nam cum Prætor in hæredem dat actionem, quatenus ad eum peruenit, sufficit si uel momento ad eum peruenit ex dolo defuncti. l. cum prætor. 169. ff. eod. tt. Tertia exceptio est: Si & hæres dolo quid fecerit, eoq; nomine conueniatur: tunc enim proposita regula non iuuatur. Toties enim in hæredem damus actionem de eo quod ad eum peruenit, quoties ex dolo defuncti conuenitur, nõ quoties ex suo. l. toties in hæredem. 44. ff. d. tt. Quarta exceptio est: Si contractus delictum defuncti præcesserit, ut ob dolum defuncti magis ex cõtractu, quàm ex delicto agatur. Nam in contractibus, quibus doli præstatio uel bona fides inest, hæres in solidum tenetur. l. hoc iure. 194. §. fin. ff. de reg. iuris. Concordat l. ad ea quæ. 199. §. fin. ff. eod. tt. his uerbis: In contractibus successores ex dolo eorum quibus successerunt, non tantùm in id quod peruenit,

uenit, uerumetiam in solidum tenentur, hoc est, unusquisque pro ea parte, qua hæres sit.

14. *Pœna non debet egredi delictum, seu delicto maior esse. c.quæsiuit.2.§.fin.de his quæ fiunt à maiori parte.*

15. *Nunquam crescit ex pòst facto præteriti delicti æstimatio.l.omnis.180.in fin.ff.de reg.iuris.*

16. *In pœnalibus causis benignius interpretandum est.l.factum cuiq;.197.§.fin.ff.d.tt.*

17. *Interpretatione legum pœnæ molliēdæ sunt potius quàm exasperandæ.l.penult.ff.de pœnis. & c.pœnæ,in prin.distinct.1.de pœnitentia.Hæc de regulis maleficiorum generalibus: sequuntur nunc eorundem regulæ speciales.*

De ui bonorum raptorum actione, eiusq; adfinibus remedijs.

1. *Hoc iure utimur, ut quidquid omnino per uim fiat,id aut in uis publicæ aut priuatæ crimen incidat.l.hoc iure.194.in prin.ff.de reg.iuris.*

2. *Rectè dictum est, raptorem improbum furem esse.Inst.ui bonor.raptor.in prin.*

3. *Non uidetur uim facere, qui iure suo utitur, & ordinaria actione experitur. l.factum cuique. 197.§.1.ff.de reg.iuris.*

De damni iniuriæ actione.

1. *Quod quis ex culpa sua damnum sentit,non intelli-*

intelligitur damnum sentire. l.quod quis.203.ff. de reg.iuris. Concordat c.damnum.86.de reg.iuris,in 6. his uerbis: Damnum quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non alijs imputare.

2. *Nemo damnum facit, nisi qui id facit, quod facere ius non habet. l.nemo.193. ff.de reg.iuris. Quod tamē distinctionem recipit in eo, qui prætextu sui iuris alij incommodat,ipse nihil inde laturus,nisi ut officiat:neq; enim malicijs indulgendum est. l.in fundo.38. uers.constituimus uerò.ff. de rei uendicat.*

3. *Is damnum dat qui iubet dare. Eius uerò nulla culpa est, cui parêre necesse est. l.is damnum. 131.ff.de reg.iuris.*

De iniuria.

1. *Qui per iniuriam uerberat, dolo facit.l.prætor ait.4.§.penult.ff.ui bonor.raptor.*

2. *Scienti & consentienti non fit iniuria, neq; dolus.c.scienti.27.de reg.iuris,in 6.*

3. *Qui iure suo utitur,nemini facit iniuriam. l. iniuriarum.13.§.is qui iure.ff.de iniurijs. Concordat §.de maleficijs,reg.9.& de ui bonor.actione, reg.3. cuius exceptionem uide paulò superius de damni iniuriæ actione,reg.2.*

4. *Præmium est iniusta maledictio,c.qui iustus, in prin.11.quæst.3.*

De

De peccatis ecclesiasticis,& pœnitentia.

1. *Defleat peccator : quia offendens in uno factus est omniũ reus.c.defleat.9.extr.de reg.iuris.*

2. *Qui ex timore facit præceptũ, aliter quàm debeat facit: & ideo iam non facit.c.qui ex timore.8.d.tt.*

3. *Non potest esse pastoris excusatio, si lupus oues comedit; & pastor nescit.c.quamuis.10.d.tt.*

4. *Bonarum mentium est, ibi etiam culpam agnoscere, ubi culpa non est: quia sæpe sine culpa agitur, quod uenit ex culpa.c.ult.§.fin.distinct.5. & c.consilium.2.§.cum autem,in fine. de obseruantia ieiuniorum.*

5. *Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum.c.peccatum.4.de reg.iuris,in 6.*

6. *Peccati uenia non datur, nisi correcto.c.peccati.5.d.tt.*

De condictione indebiti.

Hactenus de contractibus & maleficijs, eorumq; actionibus dictum est. Superſunt nonnullæ in personam actiones, quæ ex quasi contractu uel ex quasi maleficio competunt, quibus agitur ad id quod perperam gestum est, rescindendum: inter quas primo loco numeratur condictio indebiti, cuius hæ sunt regulæ.

1. *Cuius per errorem dati repetitio est, eius con-*

sultò dati donatio est. l.cuius per errorem.53.ff.de reg.iuris.de qua etiam dictum s̃.in donatione.

2. Cum amplius solutum est quàm debetur, cuius pars non inuenitur quæ repeti poßit: totum esse indebitum intelligitur, manente pristina obligatione.l.cum amplius.84.ff.d.tt.

De Pauliana actione.

1. Nihil dolo creditor facit, qui suum recipit. l. nihil dolo.171.in prin.ff.de reg.iuris.

2. Non fraudantur creditores, cum quid non adquiritur à debitore, sed cum quid de bonis deminuitur.l.non fraudantur.176.in prin.ff.eod.tt. Concordat s̃.cap.prox.reg.general.13.

De interdicto Quod ui aut clàm.

Vi factum id uidetur esse, qua de re quis, cum prohiberetur, fecit: clàm, quod quisq;, cum controuersiã haberet, habiturúmue se putaret, fecit. l.Quintus Mutius.73.§.ui factum.ff.de reg.iuris.

DE EXCEPTIONVM regulis. Cap. V.

EXceptiones quoq; actionum appellatione contineri, s̃.ostendimus: quarum regulæ itidem partim generales sunt, partim speciales. Generales exceptionum regulæ sunt hæ.

1. Nihil interest, ipso iure quis actionem non ha

beat, an ea per exceptionem infirmetur. l. nihil interest.112.ff.de reg.iuris.

2. *Desinit debitor esse, qui nactus est exceptionem iustam, nec ab æquitate naturali abhorrentem.l.Marcellus notat.66.ff.d.tt.*

3. *In his quæ contra rationem iuris constituta sunt, non possumus sequi regulam iuris. l.in his. 14.ff.de legibus.Concordat l.1.in fin.ff.de reg.iuris,hisce uerbis:* Regula ſimulatq; in aliquo uitiata eſt,perdit officium ſuum.

4. *Non uidetur cepisse, qui per exceptionem à petitione remouetur. l.non uidetur.13.ff.de reg. iuris.de qua etiam dictum s.cap.3.reg.gener.1.*

5. *Nemo ex ijs qui negant se debere,prohibetur etiam alia defensione uti: nisi lex impediat. l.nemo.43.in prin.ff.d.tt.*

6. *Nemo prohibetur pluribus exceptionibus uti, quamuis diuersæ sint. l.nemo.8. ff. de exceptionibus. Concordat c.nullus.20.de reg.iuris,in 6.his uerbis:* Nullus pluribus uti defenſionibus prohibetur.

7. *Non utique existimatur confiteri de intentione aduersarij cum quo agitur, qui exceptione utitur.l.non utiq;.9.ff.de exceptionibus.Concordat c.exceptionem.63. de reg.iuris, in 6. his uerbis.* Exceptionem obijciens non uidetur de intentione aduerſarij confiteri.

Concordat

Concordat item c.cum uenerabilis.6.extr.de exceptionibus,his uerbis: Exceptionem obijciens de intẽtione aduersæ partis non intelligitur confessus.

8. *Cui damus actionem, eidem exceptionẽ competere multò magis quis dixerit. l.in uitus.198. §.1.ff.de reg.iuris.Concordat c.qui ad agendum.71. de reg.iuris,in 6.his uerbis:* Qui ad agẽdum admittitur, est ad excipiendum multò magis admittendus.

De specialibus exceptionum regulis.

Hactenus generales except nu. egulas enumerauimus. Quod ad specia :s exceptio s attinet, sciendum earum tria esse genera, ex ' exceptiones.20. ff.de exceptionib. cuius hæc sunt uerba: Exceptiones opponuntur,aut quia factum sit quod fieri oportuit,aut quia factum sit quod fieri non oportuit, aut quia non sit factum quod fieri debuerit. *Ad hanc diuisionem declarandã uidetur pertinere l.qui non facit.163.ff.de reg.iuris.cuius hæc sunt uerba:* Qui nõ facit quod facere debet,uidetur facere aduersus ea quæ nõ facit:at qui facit quę facere non debet, non uidetur facere id quod facere iussus est. *Sed his subtilitatibus omißis,retinenda*

est usitata exceptionum diuisio, qua diuiduntur in dilatorias & peremptorias, Inst. *de exceptionib. §. appellantur. Peremptoriæ exceptiones sumuntur potißimum ex causa actionis, seu ex facto ex quo agitur, quemadmodum dilatoriæ sumuntur ex alijs actionis circumstantijs, ut alibi ostendi. Sunt autem peremptoriæ exceptiones rursus duplices.* Nam *harum aliæ sumũtur ex ijs quæ insunt facto ex quo agitur, aliæ sumuntur ex ijs quæ illud consequuntur.*

De exceptionibus desumptis ex ijs quæ insunt facto ex quo agitur.

Insunt facto ex quo agitur, persona, res, causa, locus, tempus, modus, & aliæ huiusmodi circumstantiæ, quibus accidit qualitas aliqua, ob quam factum uel ipso iure non subsistit, uel exceptionis ope infirmatur: de qua re in Dialectica *mea copiosius à me est actũ.* Huius *loci regula est,* Quòd *paria sint, aliquid factum non esse, & inutiliter esse factum, exemplo l. quoties. 6. ff. qui satisdare cogantur. ubi* Paulus: Quoties (*inquit*) uitiosè cautum uel satisdatum est, non uidetur cautum nec satisdatum. *Accedit glossa cum pluribus exemplis in d. l. 6. item l. de ætate. 12. §. nihil interest. ff. de interrogat. in iure faciendis. ubi* Vlpianus: Nihil (*inquit*) interest, neget quis,

quis,an taceat interrogatus, an obſcurè reſpondeat,ut incertum dimittat interrogatorem.*Concordat item c.quæ contra.64.de reg.iuris,in 6.his uerbis:* Quæ contra ius fiunt, debent utiq; pro infectis haberi. *Concordat item c.non præſtat.52. eod.tt. his uerbis:* Non præſtat impedimentum, quod de iure non ſortitur effectum. *Huius regulæ exceptio eſt in acceptilatione inutili, quæ utile continet pactum de non petendo. l.an inutilis.8.in prin. ff.de acceptilationibus. Sed & uidetur regula propoſita recipere exceptionem hãc: Si negocium de quo quæritur,poſtea in eum caſum inciderit,quo ab initio utiliter fieri potuit: hoc enim caſu uidetur uitium eius purgari & euaneſcere. Sed hæc exceptio reprobatur l.quod initio.29.ff.de reg.iuris,his uerbis:* Quod initio uitioſum eſt,non poteſt tractu temporis conualeſcere.*Concordat l.omnia.201. ff.eod.tt. his uerbis:* Omnia quæ ex teſtamento proficiſcuntur,ita ſtatum euentus capiunt, ſi initium quidem ſine uitio ceperint. *Item concordat l.quæ ab initio. 210.ff.eod.tt.his uerbis:* Quæ ab initio inutilis fuit inſtitutio, ex poſt facto conualeſcere non poteſt.*Item concordat c.non firmatur.18.de reg.iuris,in 6.his uerbis:* Non fir-

matur tractu téporis, quod de iure ab initio non subsistit. *Huius etiam loci est regula Catoniana, quæ habetur l.1.in prin.ff.de regula Catoniana, his uerbis:* Quod, si testamēti facti tempore decessisset testator, inutile foret, id legatum, quandocunq; decesserit, non ualere, Catoniana regula definit.

De exceptionibus desumptis ex persona facti.

Ex persona facti desumptæ exceptiones, harumq; regulæ sunt hæ.

1. *Ferè in omnibus pœnalibus iudicijs & ætati & imprudentiæ succurritur. l.ferè.108.ff.de reg. iuris.*

2. *Afflicto non est addenda afflictio.c.ex parte. 5.de clerico ægrotante.*

3. *Cohærere & coniungi non possunt, quibus studia & uota sunt diuersa. c. in nona. §. unde oportet.16.q.7.*

4. *Non fit excusatio aduersus præcepta legum ei, qui dum leges inuocat, contra eas committit. l. auxilium.37.§.fin.ff.de minor.25.annis. Concordat c.quia frustra.14.in prim.extr.de usuris, hisce uerbis:* Frustra leges inuocat, qui contra eas committit. *Hæc de exceptionibus ex persona facti desumptis, quarum tamen plures colligi pos-*

gi possunt ex regulis personarum s̃. *cap.2. enumeratis.*

De exceptionibus desumptis ex re in factum deducta.

1. *Impoßibilium nulla obligatio est.l.impoßibilium.145.ff.de reg.iuris. Concordat l.uerum est. 31.ff.eod.tt. cuius uerba uide* s̃.*cap.prox.de contractibus,reg.14. Item concordat l.ea quæ.177. ff.d.tt.his uerbis:* Ea quæ dari impoſsibilia ſunt, uel quæ in rerum natura nõ ſunt, pro non adiectis habentur. *Item concordat c.nemo.6.de reg.iuris,in 6.his uerbis:* Nemo poteſt ad impoſsibile obligari.

2. *Quæ facta lædunt pietatem, æstimationem, uerecundiam nostram, & (ut generaliter dicatur) quæ contra bonos mores fiũt, nec facere nos posse credendum est. l.filius.16.in fine.ff.de condit.instit. Plures huiusmodi exceptiones & regulas ex re desumptas uide* s̃.*cap.3.*

De exceptionibus desumptis ex causa facti.

1. *Non factum quæritur,sed causa faciendi.l.uerum est.40.ff.de furtis.*

2. *Non uidentur qui errant consentire. l.nihil consensui.116.§.fin. ff.de reg.iuris. Concordat l. qui in ius.137.in fin.ff.eod.tt.his uerbis:* Non uidetur in dolo eſſe, qui ignorat cauſam

cur non debeat petere. *Concordat item l. ferè.108.ff.d.tt. cuius uerba uide s. de exceptionibus ex persona facti desumptis,reg.1.Item concordat l.in totum.76.ff.eod.tt.his uerbis:* In totum omnia quæ animi destinatione agenda sunt,non nisi uera & certa scientia perfici possunt.*Item concordat l.qui cum alio.19.ff.eod.tt. cuius uerba uide paulò inferius except.2. Item concordat l.qui in alterius.42.ff. eod.tt. his uerbis:* Qui in locum alterius succedunt,iustam habent causam ignorantiæ, an id quod petitur, deberetur. Fideiussores quoq; non minus quàm hæredes iustam ignorantiam possunt allegare. *Concordat item c. cum quis.14. de reg.iuris,in 6.his uerbis:* Cum quis in ius succedit alterius,iustam ignorãtiæ causam censetur habere. *Hisce regulis approbatur erroris & ignorantiæ exceptio, in qua obiter notandum,quòd ignorans propriè dicatur, qui agnoscit suam ignorantiam: errans uerò,qui cum ignoret, tamen putat se scire. c.quamuis,distinct.38. Planè habet regula proposita suas etiam exceptiones, quibus erroris & ignorantiæ exceptio distinguitur. Harum una est:Si supina sit ignorantia,& parum iusta:nam nec supina ignorantia ferenda est factum ignorãtis,nec scru-*

pulosa

pulosa inquisitio exigenda. Scientia enim hoc modo æstimanda est, ut neq; negligentia crassa, aut nimia securitas satis expedita sit: neque delatoria curiositas exigatur. l. neq; supina. 6. ff. de iuris & facti ignorantia. Huius exemplum est, si quis nomen suum ignoret. Neq; enim sic homo supinus, imò magis stultus inuenitur, ut suum nomen ignoret. l. ult. C. de hæredibus instituendis. Planè à dolo etiam supina & parum iusta ignorantia excusat, exemplo l. igitur. 12. §. potest & seruus. ff. de liberali causa. ubi Vlpianus ait: Generaliter dicẽdum est, quoties quis iustis rationibus ductus, uel non iustis, sine calliditate tamen, putauit se liberum, & in libertate moratus est, hunc in ea causa esse, ut sine dolo malo in libertate fuerit. *Ratione huius legis Doctores uolunt etiam fatuam causam seu supinam ignorantiam à dolo excusare. de qua re uide Baptist. à Villal. in litera C. num. 216. Iul. Clar. §. fin. quæst. 60. uers. & generaliter. & Gabriel. lib. 7. conclus. 8.* Altera exceptio est: *Si is qui cum aliquo contrahit, conditionis eius sit ignarus.* Nam qui cum aliquo contrahit, uel est, uel esse debet non ignarus conditionis eius: hæredi autem hoc imputari non potest, cum non sponte cum legatarijs contrahat. l. qui cum alio. 19. ff. de reg. iuris. Tertia exceptio est in a-

ctore. Nam planè qui agit, quamuis hæres sit, certus esse debet: cum sit in potestate eius, quando uelit experiri: & antè debet rem diligenter explorare, & tunc ad agendum procedere. d. l. qui in alterius. 42. in fine. *Quarta exceptio est:* Si *librarius in transscribendis stipulationis uerbis errasset: nam hic error nihil nocet, quo minus & reus & fideiussor teneatur. l. si librarius. 92. ff. de reg. iuris. Plures huiusmodi exceptiones uide* M. I. C. *lib. 15. cap. 15. except. 15. item lib. 16. cap. 3. except. 26. & lib. 24. cap. 3. item* M. I. P. *lib. 5. cap. 9. reg. 13. &* M. I. R. *lib. 5. cap. 11. reg. 11.*

3. Quod dolo malo gestum est, ratum non est. *Cuius ratio habetur l. 1. §. ideo autem. ff. de doli mali except. his uerbis:* Ideo hanc exceptionē Prætor proposuit, ne cui dolus suus per occasionem iuris ciuilis contra naturalem æquitatem prosit. *Concordat l. non fraudantur. 176. in fin. ff. de reg. iuris. cuius uerba uide s̃. cap. 3. reg. gener. 6.* Doli *mali species habetur l. in condemnatione. 133. §. fin. ff. eod. tit. his uerbis:* Dolo facit, qui petit quod redditurus est. *Concordat c. dolo. 59. de reg. iuris, in 6. his uerbis:* Dolo facit, qui petit quod restituere oportet eundem. *Sed & dolus est, si quis nolit persequi quod persequi potest, aut si quis non exegerit quod exigere potest, aut*

si quis

si quis nolit soluere quod exegerit.l.dolus est.44. ff.mandati. Dolusq; malus etiam absentis esse potest. l.prætor ait.4. §.hoc autem edicto. ff.ui bonor.raptor.Planè habet regula proposita,qua doli mali exceptio approbatur, suas etiã exceptiones, quarum prima hæc est: Si quis iure suo utatur. Nullus enim uidetur dolo facere,qui suo iure utitur.l.nullus.56.ff.de reg.iuris. Concordat l.nihil consensui.116.§.non capitur.ff.eod.tt.his uerbis: Non capitur, qui ius publicum sequitur. *Cuius exemplum habetur l.nihil dolo. 171.in prin.ff.d.tt. cuius uerba uide s̃.cap.prox. in fine,de Pauliana actione. Aliud exemplum habetur l.3.§.is tamen.ff.de libero homine exhibendo. Altera propositæ regulæ exceptio est: Si uoluntas testatoris ei quod gestum est, non refragatur. Nam non solet exceptio doli nocere his quibus uoluntas testatoris non refragatur. l. qui cum alio.19.in fin.ff.de reg.iuris. Tertia exceptio est:Si excipiens sciuit & consensit. Nam nemo uidetur fraudare eos qui sciunt & consentiũt. l.nemo.187.ff.eod.tt. Concordat c.scienti.27. de reg.iuris,in 6.cuius uerba uide s̃.cap.prox.de iniuria,reg.2. Quarta exceptio est: Si quis reipsa, non consilio aduersarij sit deceptus: nam in precio emptionis & uenditionis naturaliter licet contrahentibus se circumuenire reipsa, non ex proposito.*

proposito. l.in causæ.16.§.idem Pomponius,*cum sua glossa.ff.de minor.25.annis.*

4. *Casus fortuiti, ueluti animalium casus, mortesq́; quæ sine culpa accidunt, fugæ seruorum qui custodiri non solent, rapinæ, tumultus, incendia, aquarum magnitudines, impetus prædonũ, à nullo præstantur. l.contractus.23. §.fin. ff.de reg.iuris.* Nam *fortuitos casus nullum humanum consilium prouidere potest. l.non utiq́;.2.§.si eo tempore.ff.de administr. rerum ad ciuitates pertinentium.* Planè *si culpa casum præcesserit, propositæ regulæ locus non est. quod primæ exceptionis loco notandum.* Q*uæ exceptio approbatur & distinguitur d.l.23.in prin.his uerbis:* Cõtractus quidam dolum malum duntaxat recipiunt, quidam & dolum & culpã. Dolum tantùm, depositum & precarium: dolum & culpam, mandatum, commodatum, uenditum, pignori acceptum, locatum, item dotis datio, tutelę, negotia gesta. In his quidem & diligentia. sed & societas, & rerum communio, & dolum & culpam recipit. *Pro declaratione propositæ exceptionis sciendum est, culpam esse, immiscere se rei ad se non pertinenti. l.culpa est.36.ff.de reg.iuris. Concordat c.non est.19.de reg.iuris, in 6.his uerbis:* Non est sine culpa,

qui

qui rei quę ad eum non pertinet,ſe im miſcet.*Item imperitia culpæ adnumeratur l.im peritia.174.ff.de reg.iuris. Item præceptoris nimia ſæuitia culpæ aßignatur l.præceptoris.6.ff. ad l.Aquiliam.Planè exceptio propoſita replicationem recipit in depoſito & precario: in his enim dolus tantùm,non etiam culpa præſtatur: ut ex uerbis d.l.23.iam propoſitis patet.Si tamen culpa lata ſit,ſeu diſſoluta negligentia: huic replicationi locus non eſt. Nam lata culpa, ſeu diſſoluta negligentia, prope dolum eſt. l.ſi fideiuſſor.29.in prin. ibi:diſſoluta enim.ff.mandati. Cui concordat l.magna negligentia.226.ff.de uerb.ſignif.his uerbis:* Magna negligentia culpa eſt:magna culpa dolus eſt. *Proinde ſi quis in depoſito cuſtodiendo non eam præſtiterit diligentiam, quam in ſuis rebus præſtare ſolet: fraude non caret. Ideoq; depoſiti actione re amiſſa tenetur. l. quod Nerua.32.ff.depoſiti. Sed & ſi in depoſito uel precario conuenit de culpa quoq; præſtanda: hoc pactum ſeruabitur, nec ſupradictæ replicationi locus erit.d.l.contractus.23.§.ſed hæc ita.ubi dicitur:* Hæc ita, niſi ſi quid nominatim conuenit,uel plus,uel minus,in ſingulis cõtractibus: nam hoc ſeruabitur, quod initio cõuenit(legem enim contractui dedit)excepto eo quod Celſus putat

putat non ualere, si conuenerit, ne dolus præstetur: hoc enim bonæ fidei iudicio contrarium est. & ita utimur. *Hisce uerbis non solùm replicatio proposita de culpa non præstanda distinguitur ratione pacti in contrarium initi, sed etiam alia replicatio aduersus exceptionem propositam approbatur, scilicet si conuenerit de culpa non præstanda: tunc enim, quamuis culpa casum præcesserit, dicendum tamen est casum non esse præstandum. Hæc de prima propositæ regulæ exceptione sint dicta. Altera eius exceptio est: Si de casu præstando ab initio conuenit: tunc enim, quamuis neq; dolus, neq; culpa casum præcesserit, nihilominus casus præstabitur. Quæ & ipsa exceptio uerbis d. §. sed hæc ita, iam propositis approbatur.*

5. *Culpa caret, qui scit, sed prohibere non potest. l. culpa caret. 50. ff. de reg. iuris. Concordat l. nullum crimen. 109. ff. d. tt. his uerbis:* Nullum crimen patitur is qui nõ prohibet, cum prohibere non posit.

6. *Velle non creditur, qui obsequitur imperio patris uel domini. l. uelle non creditur. 4. ff. de reg. iuris. Concordat l. is damnum dat. 131. ff. d. tt. cuius uerba uide s̃. cap. prox. in damni iniuriæ actione, reg. 3. Item concordat l. ad ea quæ. 199. in prin. ff. eod. tt. his uerbis:* Ad ea quæ non habent

bent atrocitatem facinoris uel sceleris, in his ignoscitur seruis, si uel dominis, uel his qui uice dominorum sunt (ueluti tutoribus & curatoribus) obtemperauerint.

7. *Qui iussu iudicis aliquid facit, non uidetur dolo malo facere: quia parêre necesse habet. l. non uidentur. 127. in fin. ff. de reg. iuris. Concordat c. quod quis. 24. de regulis iuris, in 6. his uerbis:* Quod quis mandato facit iudicis, dolo facere non uidetur: cum habeat parêre necesse.

8. *Nihil consensui tam contrarium est, qui & bonæ fidei iudicia sustinet, quàm uis atq; metus, quem comprobare contra bonos mores est. l. nihil consensui. 116. in prin. ff. de reg. iuris. Vani tamen timoris iusta excusatio non est. l. uani timoris. 144. ff. eod. tt.*

9. *Nimia reuerentia metui æquiparatur. l. 1. §. quæ onerandæ. uers. si liquidò appareat. ff. quarum rerum actio non datur.*

10. *Vim ui repellere licet. l. scientiam. 45. §. qui cum. ff. ad l. Aquiliam. Concordat l. itaq; si seruũ. 4. in prin. ff. eod. tt. his uerbis:* Aduersus periculum naturalis ratio permittit se defendere.

11. *Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum.*

licitum.c.quod non est.4.extr.de reg.iuris.

12. *Quidquid calore iracundiæ uel fit uel dicitur, non prius ratum est, quàm si perseuerantia apparuerit iudicium animi fuisse.* Ideoq; *breui reuersa uxor nec diuertisse uidetur.l.quidquid.48. ff.de reg.iuris.*

13. *Quæ dubitationis tollendæ causa contractibus inseruntur, ius commune non lædunt. l.quæ dubitationis.81.ff.eod.tt.* Huic concordat *regula hæc, Quòd superflua cautela non noceat. de qua dicetur j.cap.7.in loco à parte ad totum.*

14. *Nemini suum officium debet esse damnosum. l.si seruus.63.§.quod uerò. ibi:multò tamen æquius.ff.de furtis.*

15. *Ignoscendum ei, qui sanguinem suum qualitercunq; redemptum uoluerit. l.1.in fin.ff.de bonis eorum qui ante sententiam.* Hæc de exceptionibus *desumptis ex causa facti, earumq; regulis sint dicta.*

De exceptionibus desumptis ex loco facti.

1. *Locus facit, ut idem uel furtum uel sacrilegium sit, & capite luendum, uel minore supplicio.l.aut facta.16.§.locus.ff.de pœnis.*

2. *Atrocior est iniuria quæ in conspectu fit. l. pretor.7.§.penult.ff.de iniurijs.*

De

De exceptionibus deſumptis ex tempore facti.

1. *Qui prior eſt tempore, potior eſt iure. c. qui prior. 54. de reg. iuris, in 6.*

2. *Tempus diſcernit emanſorem à fugitiuo, & effractorem uel furem diurnum à nocturno. d. l. aut facta. 16. §. tempus.*

3. *Quod quis, dum ſeruus eſſet, egit, proficere libero facto non poteſt. l. quod quis. 188. ff. de reg. iuris.*

4. *Cingendus habetur pro cincto. l. penult. & ibi Dd. ff. de militari teſt.*

5. *Minus ſoluit qui tardius ſoluit: nam & tempore minus ſoluitur. l. ſi cui. 12. §. fin. ff. de uerb. ſignif. Cuius exceptio eſt: Si non multò poſt tempus ſoluatur. neq; enim magnum damnum eſt in mora modici temporis. l. ſi debitori. 21. ff. de iudicijs. Vide item de regula propoſita ℑ. cap. prox. de ſolutionib. reg. 1. except. 2.*

De exceptionibus deſumptis ex modo, antecedentibus & adiunctis facti.

1. *Actus legitimi, qui non recipiunt diẽ uel conditionem, ueluti emancipatio, acceptilatio, hæreditatis aditio, ſerui optio, datio tutoris, in totum uitiantur per temporis uel conditionis adiectionem. l. actus legitimi. 77. ff. de reg. iuris. Concor-*

dat c.actus.50.de reg.iuris,in 6.his uerbis: **Actus legitimi conditionem non recipiunt, neq; diem.** *Nonnunquam tamen actus suprascripti tacitè recipiunt, quæ apertè comprehensa uitium adferunt: nam si acceptumferatur ei qui sub conditione promisit,ita demum egisse aliquid acceptilatio intelligitur, si obligationis conditio extiterit. Quod si uerbis nominatim acceptilationis comprehendatur,nullius momenti faciet actum.d.l.actus.§.nonnunquam tamen.*

2. *Expressa nocent, non expressa non nocent. l.expressa.155.ff.de reg.iuris. cuius exemplum s. reg.prox.est propositum.*

3. *Absentia eius qui reipublicæ causa abest,neq; ei,neq; alij damnosa esse debet.l.absentia.182.ff.de reg.iuris.*

4. *Huius etiam loci est exceptio, qua dicitur, eum cuius interest, antea non fuisse certioratum. Cuius replicatio est in eo qui certus est.Nam eum qui certus est, certiorari ulterius non oportet. c. eum qui.31.de reg.iuris,in 6.*

5. *Qui authore iudice comparauit, bonæ fidei possessor est.l.qui authore.179.ff.de reg.iuris.*

6. *Nemo prædo est, qui precium numerauit. l. nemo.168.in prin.ff.de reg.iuris.*

7. *Allegans contraria non est audiendus.c.cum olim.19.§.fin.extr.de censibus.*

De

De exceptionibus desumptis ex qualitate & euentu facti.

1. *Ex illicito facto nō nascitur obligatio.c.quod latenter.5.extr.de reg.iuris.*

2. *Allegans propriam turpitudinem non est audiendus,exemplo l.cum profitearis.4. C.de reuocandis donationibus.*

3. *Paria sunt,aliquid non esse factum,& inutiliter esse factum.de qua regula dictum s.eod.cap. de exceptionibus desumptis ex ijs quæ insunt facto,in prin..*

4. *Non omne quod licet,honestum est.l.non omne.186.in prin.ff.de reg.iuris.*

5. *Semper in conuentionibus non solùm quid liceat considerandum est, sed etiam quid honestum sit.l.semper.157.ff.d.tt.*

6. *Quod legitimè factum est, nullam pœnam meretur. l.Gracchus.4. in prin. C.ad l.Iul.de adulterijs.*

7. *Nemo potest mutare consilium suum in alterius iniuriam.l.nemo.75.ff.de reg.iuris. Concordat c.mutare.33.de reg.iuris,in 6.his uerbis:* Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum.

8. *Qui contra iura mercatur,dolo agere præsumitur.c.qui contra.82.d.tt.*

De exceptionibus ex instrumento facti desumptis.

Si instrumentum sit de substantia eius quod ge stum est: uitium eius uitiat id quod est gestum, exemplo l.contractus.16. C.de fide instrumentorum. ubi ex imperfecto instrumento contractus infirmatur. Secus autem, si non sit de substantia eius quod est gestum: tunc enim etiam omisso instrumento, nihilominus ualet id quod est gestum. l.penult. ff. de fide instrum. & l.non idcirco. 12. C.eod.tt.

DE LIBERATIONVM regulis. Cap. VI.

CVm exceptionum aliæ sumãtur ex ijs quæ insunt facto, ex quo agitur, aliæ ex ijs quæ factum consequuntur: de priori genere hactenus est dictum. Sequitur ergo, ut de posterioris generis exceptionibus dicamus, quas liberationes appellamus. De hisce itidem primùm in genere, postea in specie dicetur. Generales liberationum regulæ sunt hæ.

1. *Nihil tam naturale, quàm eo genere quodq; dissoluere, quo colligatum est. Ideoq; uerborum obligatio uerbis tollitur: nudi consensus obligatio contrario consensu dissoluitur. l.nihil tam naturale. 35. ff. de reg. iuris. Concordat l.ferè quibuscunq;.*

cunq;.195.ff.eod.tt. cuius uerba uide ꝰ*.cap.3.reg. generali* 10. *Item concordat l.omnia.*100.*ff.d.tt. his uerbis:* Omnia quæ iure contrahuntur,contrario iure pereunt. *Item concordat c.1.extr.eod.tt.cuius uerba uide d.reg.*10.

2. *Quod alicui deberi cœperit, certis modis deberi desinit: ex quo infertur, tempus non esse modum tollendæ obligationis. l. obligationum. 43.§.placet autem.ff.de action.& obligat.*

3. *Si quis obligatione liberatus sit,potest uideri accepisse.l.si quis.115.in prin.ff.de reg.iuris. Hæc de liberationibus in genere sint dicta.Sequitur de ijsdem in specie: & primùm de solutionibus, postea de cæteris.*

De solutionibus.

1. *Tollitur omnis obligatio solutione eius quod debetur, uel si quis consentiente creditore aliud pro alio soluerit. Inst. quibus modis tollitur obligatio,in prin. dũmodò ei cui debetur,solutio fiat.* Except.1. *Nam procuratori se ultrò alienis negocijs offerenti soluendo nemo liberabitur. l.qui hominem. 34.§.si nullo.ff.de solutionibus.* Et *soluẽdo quisq; pro alio, licet inuito & ignorante, liberat eum. Quod autem alicui debetur, alius sine uoluntate eius non potest iure exigere. l.soluendo.38.ff.de negocijs gestis.Quod uerò iussu alicuius soluitur,* Repl.1. *pro eo est quasi ipsi solutum esset. l. quod iussu.*

 140.

Repl.2. 140.ff.de reg.iuris. Idem dicendum,si creditor solutionem alij factam ratam habuerit. Nam ratihabitio mandato comparatur. l.hoc iure.194.§.
Except.2. ratihabitio.ff.eod.tt. Præterea solutio non liberat,si non sua die facta sit. Siquidem minus soluit, qui tardius soluit: nam & tempore minus soluitur.l.si cui.12.in fine.ff.de uerb.signif. Concordat c.mora.25. de reg. iuris, in 6. his uerbis: Mora
Repl.1. sua cuilibet est nociua. Excusatur tamen mora ignorantia debiti. Nam non potest improbus uideri,qui ignorat quantum soluere debeat.l.
Repl.2. non potest.99.ff.de reg.iuris. Idem dicendum, si exceptione tutus sua die non soluerit. Nulla enim intelligitur ibi mora fieri, ubi nulla petitio est. l. nulla intelligitur.88.ff.eod.tt. nec in mora est,qui exceptione se potest tueri.c.non est.60.de reg.iu
Repl.3. ris,in 6. Sed & is qui sine dolo malo ad iudicium prouocat, non uidetur moram facere. l.qui sine
Repl.4. dolo.63.ff.de reg.iuris.Postremò,ubi lex duorum mensium fecit mentionem,& qui sexagesimo primo die uenerit,audiendus est.l.ubi lex.101.ff.d.tt. Vide insuper de exceptione proposita 5. capite prox.de exceptionibus desumptis ex tempore facti,reg.5.

2. Si in duabus actionibus alibi summa maior, alibi infamia est: præponenda est causa existimationis in eo quod est solutum. Vbi autem æquiparantur

nuntur famosa iudicia, etsi summam disparem habent, pro paribus accipienda sunt. l.si in duabus. 104.ff.de reg.iuris.

De reliquis liberationibus.

1. *Si conditio contractus uel alterius dispositionis non sit impleta: deficit magis quàm extinguitur obligatio.* Nam *quod pendet,non est pro eo quasi sit. l.is damnum dat.131. in fin. ff.de reg. iuris. Cuius exemplum habetur l.decem.116.ibi: soluente Titio. ff.de uerb. obligat.* Planè *in omnibus causis pro facto accipitur id, in quo per alium mora est quo minus fiat. l.in omnibus causis.39. ff.de reg.iuris. Concordat l.in iure ciuili. 121.ff.d.tt.his uerbis:*In iure ciuili receptum est,quoties per eum,cuius intereſt conditionem non impleri, fiat quo minus impleatur: perinde haberi,ac ſi impleta conditio fuiſſet. quod ad libertates & legata & hæredũ inſtitutiones perducitur. Quibus exemplis ſtipulationes quoq; committũtur, cum per promiſſorem factum eſſet, quo minus ſtipulator conditioni pareret. *Item concordat l.qui poteſt.134.in prin. ff.eod.tt. his uerbis:* Qui poteſt facere ut poſsit conditioni parêre,iam poſſe uidetur.*Concordat item c.imputari.41.de reg.iuris,in 6.his uerbis*: Im- Except.1.

putari non debet ei, per quem nõ ſtat, ſi non faciat quod per eum fuerat faciendum. *Item concordat c.cum non ſtat.66. eod.tt.his uerbis*: Cum non ſtat per eum, ad quem pertinet, quo minus conditio impleatur: haberi debet perinde,
Except.2. ac ſi impleta fuiſſet. *Præterea pluribus conditionibus non coniunctim, ſed diſiunctim propoſitis, ſi una ex ijs ſit impleta, quamuis cæteræ deficiant, non tamen deficit obligatio. Nam ubi uerba coniuncta non ſunt, ſufficit alterutrum eſſe factum. l.in eo quod plus.110.§.ubi uerba.ff.de reg. iuris. Concordat c.in alternatiuis.70.de reg.iuris, in 6. his uerbis*: In alternatiuis ſufficit alterum adimpleri.

2. *Conditio hæc, Si fuerit arbitratus: deficit, quamuis arbitratus ſit, ſed non ut uirum bonum decet. Nam generaliter probandum eſt, ubicunq; in bonæ fidei iudicijs confertur in arbitrium domini uel procuratoris eius conditio, pro boni uiri arbitrio hoc habendum eſſe. l.in perſonam.22. §. 1.ff.de reg. iuris.*

3. *Si obligatio in eum caſum deuenerit, quo ab initio contrahi non potuit, uidetur diſſolui. Sed hæc liberationis ſpecies reprobatur l.in ambiguis.85.§.1.ff.de reg.iuris, hiſce uerbis*: Non eſt nouum, ut quæ ſemel utiliter cõſtituta

ſunt,

ſunt, durent, licet ille caſus extiterit, à quo initium capere non potuerũt. *Concordat c.factum.73. de reg.iuris, in 6. his uerbis:* Factum legitimè retractari non debet, licet caſus poſtea eueniat, à quo non potuit inchoari.

4. *Si de cauſa actum ſit, poſtea rurſus agenti obſtat exceptio. Inſtit.de exceptionibus. §.item ſi in iudicio. nec diſtinguitur, quamuis poſtea alia actione agatur. l.plura delicta.52. ff.de action.& obligat.niſi in poſteriorem actionem plus ueniat, quàm in priorem: hoc enim quod excedit, exigere non prohibemur. Nam hoc caſu nunquam actiones, præſertim pœnales, de eadem re concurrentes, alia aliam conſumit. l.nunquam.172. ff.de reg.iuris.*

5. *Si reus rem indefenſam relinquat, exceptione defenditur. Inuitus enim nemo rem cogitur defendere.l.inuitus.198.in prin.ff.de reg.iuris.*

6. *Si quis iuri ſuo renunciauerit, poſtea ex eo iure agenti obſtat exceptio. Nam omnes licentiam habent iis quæ pro ſe introducta ſunt, renunciare.l.ſi quis.29.uerſ.cum alia.C.de pactis. Concordat l.ſi iudex.41.ff.de minor.25.annis.l.pactũ.46.in fin. ff.de pactis. l.ſi quis.39. C.de epiſcopis & clericis. Nouell.136. §.ſancimus igitur. uerſ. propterea quod. Planè quod quis, ſi uelit, habere*

non potest, id nec repudiare potest. l.qui potest. 134.in fin. ff.de reg.iuris. de qua re uide item 5. cap.prox.à priuatiuis oppositis,reg.1.

7. *Si quis ex duob.iuris remedijs,quæ sibi competunt,unum elegerit: alteri renunciasse uidetur. l.quod in hæredem.9.§.eligere,cum sua glossa.ff. de tributoria actione. nisi ignorauerit aliud sibi competere. nam hi qui nesciunt ius suum, eligentes id quod putant sibi competere, non amittunt. l.mater.19.§.cæterùm si quis.ff.de inoff.testam.*

8. *Si intra legitimum tempus non sit actum, postea agenti obstat temporis præscriptio: nisi reus malæ fidei fuerit possessor:nam possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit. c.possessor.2. de reg.iuris, in 6. Sed etsi reus rem non possederit, adhuc dicendum, temporis præscriptionem aduersus in rem actiones ei non prodesse: nam sine possessione præscriptio non procedit. c.sine possessione.3.d.tt.Hæc de exceptionum & liberationum regulis sint dicta.*

DE LITIS CONTESTAtionis & probationum regulis.

Cap. VII.

De litis contestatione.

1. NOn solet deterior cõditio fieri eorum qui litem contestati sunt, quàm si non essent,

essent, sed plerunq; melior. Nemo enim in persequendo deteriorem causam, sed meliorem facit. l.non solet.86.cum l.sequente.ff.de reg.iuris.

2. *Post litis contestationem hæredi quoq; prospicitur, & hæres tenetur ex omnibus causis. l.nemo enim.87.in fin.ff.d.tt.*

3. *Post litem contestatam omnes incipiunt malæ fidei possessores esse: quinimò post controuersiam motam. Quanquam enim litis contestatæ mentio fiat in Senatusconsulto: tamen & post motam controuersiam omnes possessores pares fiunt, & quasi prædones tenentur. l.sed etsi.25.§. si ante litem.ff.de petit.hæreditatis.*

De probationibus.

1. *Probatio non est necessaria, si aduersarius id de quo quæritur, confessus sit. Nam nullæ partes iudicis sunt in confitentem, præterquam in condemnando. l.proinde. 25. §.fin. ff. ad l.Aquiliam. Et confessus pro iudicato habetur. l.1. ff.de confessis.*

2. *Sed & probatio non uidetur necessaria, tacente aduersario. Quia qui tacet, non utiq; fatetur, sed tamen uerum est eum non negare.l.qui tacet.184.ff.de reg.iuris. Concordat c.is qui tacet. 44.de reg.iuris, in 6.his uerbis:* Is qui tacet, non fatetur, sed nec utique negare uidetur.

3. Notoria

3. *Notoria probationem non requirunt. c.super eo.3.in prim.de testibus cogendis.*

4. *Violenta præsumptio euidentißimam probationem requirit. l.si extraneus.6.uers.nisi fortè.ff.de condict.ob causam. l.ult.in prim.ff.quod metus causa. & c.ueniens.3.§.fin. de presbytero non baptizato.*

5. *Probationis uitium est cauillatio, quam Græci σόφισμα appellant, cuius natura est, ut ab euidenter ueris per breuißimas mutationes disputatio ad ea quæ euidẽter falsa sunt, perducatur. l.ea est natura.65.ff.de reg.iuris.*

6. *Præsumptio transfert onus probandi in aduersarium. l.generaliter.24.§.sed etsi ita, in fine. ff.de fideicom.libertat.* Ignorantia *autem præsumitur, nisi probetur scientia. c.præsumitur.47. de reg.iuris, in 6.*

De inartificialibus probationibus.

Hæc de generalibus probationum regulis sint dicta. Quod ad speciales regulas attinet, sciẽdum, probationum alias esse artificiales, alias inartificiales. Aristoteles lib.1.Rhetor.cap.2.& Quintil. lib.5.Instit.orator.cap.1. Ad inartificiales probationes pertinent instrumenta, fama, iusiurandum & authoritas. de quib. aliquot regulæ sequuntur.

1. *Vbi pugnantia inter se in testamẽto inueniuntur:*

tur: neutrum ratum est. l.ubi pugnantia.148. in prin.ff.de reg.iuris.

2. *Si librarius in transscribendis stipulationis uerbis errasset,nihil nocet, quo minus & reus & fideiussor teneatur.l.si librarius.92.ff.d.tt.*

3. *Ex eo non debet quis fructus consequi,quod nisus est impugnare. c.ex eo.38.de reg.iuris,in 6. & c.cum olim.19.uers.licet enim.extr.de censib.*

4. *Falsus rumor non solet obesse.l.ult.uers.quia tamen falsus.ff.de hæredibus instit.*

5. *Manifestæ turpitudinis & confeßionis est, nolle nec iurare, nec iusiurandum referre. l.manifestæ.38.ff.de iureiurando.*

6. *Graue uidetur,& ignorantes & inuitos sub alieni compendij emolumento etiam periurium anceps subire.l.uideamus.4.in prin.ff.de in litem iurando.*

7. *In iure plus ualet authoritas quàm ratio. l. prospexit.12.in prin. ff.qui & à quibus manumissi.*Nouell.18.*§.consideremus.*

8. *Concessum uidetur,quod non inuenitur prohibitum,exemplo l.statuas.7.*C.*de religiosis.*

9. *Erubescendum nobis sine lege loqui.*Nouell.18.*§.consideremus.*

10. *Vbi lex non distinguit,ibi nec à nobis est distinguendum. l.de precio.10.cum sua glossa.ff.de publiciana in rem actione.*

De

De artificialibus probationibus.

Artificiales probationes sumũtur ex locis Dia*lecticis, qui partim generales sunt siue communes, partim speciales siue proprij personarũ, rerum & actionum, necnon compositi thematis, ut in* Dialectica *mea copiosius ostendi.* Generales *siue communes loci sunt rursus triplices:* Interni, *externi, & medij.* Interni *sunt, qui in ipsa re, de qua prædicantur, hærent fixiq; sunt: ut definitio, genus, species, differentia, proprium, totum, partes & cõiugata.* Externi *sunt, qui extra rem sunt: ut connexa, causæ, effecta, contingentia, nomen, comparata, similia, dißimilia & repugnantia.* Medij *sunt, qui circa substantiam rei describendæ quàm proximè cohærent, quæq; substantiam comitantur, simulq; cum ea intereunt: ut sunt adiacentia, actus & subiectum. Secundum quæ uiginti erunt artificialium probationum generalium siue communium genera; uidelicet,* A' *definitione, à genere, à specie, à differentia, à proprio, à toto, à partibus, à coniugatis, ab adiacentibus, ab actibus, à subiecto, à connexis, à causis, ab effectis, à contingentibus, à nomine, à comparatis, à simili, à dißimili, & à repugnantibus: quorum locorum definitiones & exempla ex* Dialectica *mea petere licet.* Nunc *singulorum regulas ordine recensebimus.*

A' definitione.

De quo affirmatur uel negatur definitio, de eodem etiam affirmatur uel negatur definitum, exemplo Instit. ui bonor. raptor. in prin. ubi Imp. Iustinianus probaturus raptorem furem esse, argumentatur à definitione furis in hunc modum.

Fur est, qui alienam rem inuito domino contrectat.

Quis autem magis alienam rem inuito domino contrectat, quàm qui ui rapit.

Ideoq; rectè dictum est, eum improbum furem esse.

Aliud exemplum, in quo definitio negatur, habetur l. quæsitum. 12. in prin. ff. de instrum. legato. ubi ad probationem eius, quòd frumentum cibarijs cultorum paratum instrumento legato non cederet, argumentum adfertur à definitione instrumenti tale:

Instrumentũ est apparatus rerum diutius mansurarum, sine quibus exerceri possessio nequeat.

Sed frumentum non diu permanet: quia consumitur.

Ergo frumentum non est instrumentum.

A' genere.

Quod affirmatur uel negatur de genere, idem etiam affirmatur uel negatur de qualibet eius specie. seu, Semper specialia generalibus insunt. l. semper.

per.189.ff.de reg.iuris. Cuius exemplum habetur l.1. §.quod autem Prætor. ff.de aleatoribus. ubi cum Prætor de eo quod in domo eius, apud quem in alea lusum est, subtractum erit, actionem se daturum esse negasset: ex eo Vlpianus infert, nec furti actionem, nec condictionem, nec uẽdicationem rei furtiuæ, nec ad exhibendum actionem dãdam esse. Huius regulæ exceptio prima est: Si in specie aliqua aliud sit cautum: tunc enim argumentum à genere ad istam speciem non ualet. Quia in toto iure generi per speciem derogatur, & illud potissimum habetur, quod ad speciem directum est. l.in toto.80.ff.de reg.iuris. Concordat c. generi.34.de reg.iuris, in 6.his uerbis: Generi per speciem derogatur. *Huius exemplum habetur l.antepenult. ff. de pœnis, hisce uerbis:* Sanctio legum, quæ nouissimè certam pœnam generaliter irrogat ei, qui legis præceptis non obtemperauerit, ad eas species pertinere non uidetur, quibus ipsa lege pœna specialiter addita est: nec ambigitur, in cætero omni iure speciem generi derogare, &c. *Aliud exemplum habetur l.si peculium.10. in prim. ff.de manumissis testamẽto, his uerbis:* Si peculium prælegatum est, & uicarius liber esse iussus sit: liberũ eum esse constat, multum

enim intereſt inter genus & ſpeciem. Speciem enim eximi de genere placet: quod eſt in peculio legato & uicario manumiſſo. *Altera propoſitæ regulæ exceptio eſt, Quòd in generali conceßione non ueniant ea, quæ quis non eſſet uerißimiliter in ſpecie cõceſſurus. c. in generali. 81. de reg. iuris, in 6. Tertia exceptio eſt, ſi quibuſdam ſpecialiter enumeratis generalę ſubijciatur uerbum: hoc enim caſu genus reſtringitur ad ſpecies antea enumeratas, nec ad alias pertinet, exemplo l. ult. §. cui dulcia. ff. de tritico uino legato. ubi Proculus ait:* Quòd ſi ita eſſet legatum: Vinum amphorarium, Aminæum, Gręcum, & dulcia omnia: nihil inter dulcia, niſi quod potionis eſſet, legatum putat Labeo ex collatione uini amphorarij: quod non improbo. *Planè exceptio hæc in ijs tantùm locum habet, quæ adiectiuo modo præcedentibus ſpeciebus tanquam earum qualitates ſubijciũtur: alioquin ſi tam genus quàm ſpecies per ſe ſubſiſtant, ut non ſit alterum alterius qualitas, huic exceptioni locus non eſt, ſed generale uerbum etiam ad alias quàm antea enumeratas ſpecies pertinet. Nec enim nouum eſt, ut lex ſpecialiter quibuſdam enumeratis generale ſubijciat uerbum, quo alia etiam ſpecialia complectatur. l. ſi ſeruus.*

27.§.cum eo planè.ff.ad l.Aquiliam.

A' ſpecie.

Quod iuris eſt in ſpecie, idem etiam iuris eſt in genere, exemplo l.ſtatuliberis.29.in fine. ff.de ſtatuliberis.ubi dicitur,lege XII.Tabul.Emptionis uerbo omnem alienationem contineri. Aliud exemplum eſt l.filij.84. ff.de uerb.ſignif. ubi filij appellatione omnes liberi cōtinentur.Cuius regulæ exceptio eſt: Si ratio ſpeciei in alijs ſpeciebus ceſſet:tunc enim ius ſpeciei in genere ceſſat,ſecundum ea quæ dicentur ſ. cap. prox. in loco A' ratione legis,reg.2.

A' differentia & à proprio.

De quo affirmatur uel negatur differentia ſeu proprium,de eodem affirmatur uel negatur id cuius eſt proprium, exemplo l.non codicillum.14. C.de teſtamentis. ubi ex hæredis inſtitutione & exhæredatione,quæ teſtamenti propria ſunt,colligitur, defunctum non codicillum, ſed teſtamentum facere uoluiſſe. Sic etiam l.1.§.ſed uerior eſt. ff.de contrah. empt. à proprio uenditionis, quod eſt, aliud eſſe emere,aliud uendere, alium emptorem,alium uenditorem eſſe,item aliud mercem,aliud precium: probatur,permutationem non eſſe uenditionem.

A' toto.

In toto & pars continetur: ſeu quod iuris eſt in toto,

in toto, idem etiam iuris est in qualibet eius parte. l. in toto. 113. ff. de reg. iuris. Concordat l. in eo. 110. in prin. ff. eod. tt. his uerbis: In eo quod plus est, semper inest & minus. *Item concordat l. cuius effectus. 190. ff. eod. tt. his uerbis:* Cuius effectus omnibus prodest, eius & partes ad omnes pertinent. *Item concordat c. in toto. 80. de reg. iuris, in 6. his uerbis:* In toto partem non est dubium contineri. *Item c. plus semper. 35. eod. tt. his uerbis:* Plus semper in se continet quod est minus. *Cuius exemplum est l. in ratione. 30. §, diligenter. ff. ad l. Falcidiam. l. si seruus. 81. in fin. ff. de adquir. hæreditate,*

A' parte.

1. *Cuiusq; rei potissima pars principium est. l. 1. uers. & certè. ff. de origine iuris.*
2. *Vix bono peraguntur exitu, quæ malo inchoata sunt principio. c. miramur. §. principatus, distinct. 1. & c. principatus. 4. quæst. 1.*
3. *Quod initio uitiosum est, tractu tēporis conualescere non potest. de qua regula uide s̄. cap. 5. de exceptionibus desumptis ex ijs quæ facto insunt, in prin.*
4. *Quod iuris est in parte, idem etiam iuris est in toto, exemplo l. item ueniunt. 22. §. ait Senatus. ff. de petit. hæreditatis. l. si ex asse. 10. & l. si quis*

mihi.25.§.sed si mandauit.ff.de adquir.hęred. l.si cui.60.ff.de leg.2.

5. *Deficiente parte, totum perfectum esse nequit. l.1. §.sed quod in omnibus. ff.de origine iuris. Quod tamen maior pars curię effecit, pro eo habetur ac si omnes egerint. l.quod maior.19. ff. ad municipalem.*

6. *Pars abundans non uitiat totum. Nam non solent quę abundant uitiare scripturas. l.non solent.94.ff.de reg.iuris. nec superflua aut abundãs cautela nocere.l.testamẽtum.17.C.de testamentis.*

7. *Commutatis omnibus partibus, eadem, non alia res intelligitur. l.proponebatur.76. ff.de iudicijs.*

A' coniugatis.

Quod iuris est in uno coniugatorum, idem etiam est in altero, exemplo Inst.ui bonor.raptor. in prin. ubi Imp. Iustinianus, quia raptor fur sit, infert eum furti actione teneri. Aliud exemplum est l.si cognationi.20.§.fin.ff.de rebus dubijs. ubi quod cognationi legatum est, Vlpianus interpretatur cognatis legatum esse.

Ab adiacentibus.

Ex *quantitate & qualitate rei genus eius & natura conijcitur, exemplo l.si tam angusti.13. ff. de seruitutibus. Ex quantitate loci concessi colligitur, non uiam, sed iter uel actum concessum esse.*

Sic-

Sic l.ult. ff.de instrum. legato, scapha à naui mediocritate discernitur. & l.aut facta.16.§.quantitas. ff.de pœnis, quantitas discernit furem ab abigeo. Nam qui unum suem surripuerit, ut fur coercetur: qui gregem, ut abigeus. Ex qualitate corporis, *animi qualitas colligitur.* Diuersitatem enim *corporum, diuersitas sequitur animorum, ut s.cap.2. inter regulas personarum generales ostensum.* Vnde Martialis:

> *Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine læsus,*
> *Rem magnam præstas, Zoile, si bonus es.*

Ab actibus.

1. *Actus hoc loco continet prædicamentũ actionis & paßionis apud Dialecticos, ut alibi ostendi. estq; huius loci prima regula hæc:* Ex actu colligitur *adiacens seu qualitas personæ: puta,* Titius *suum cuiq; tribuit:* Ergo *est iustus.* Nam *actus oritur ex adiacente, quemadmodum bona opera oriuntur ex fide. Sic etiam l.1.§.medicos fortaßis. ff.de extraord. cog. colligitur aliquem medicum esse, ex eo quòd oculorum, aurium & dentium sanitatem polliceatur.*

2. *Quod affirmatur uel negatur de actu, idem etiam affirmatur & negatur de subiecto, cuius est actus, exemplo l.item quæritur.13.§.penult. ff.locati. ubi* Vlpianus: Hoc ipso *(inquit)* quòd

tacuerint,consensisse uidentur. *Hic de a-ctu tacere affirmatur consentire. At locator & conductor ibi dicuntur tacuisse. Ideo de ijs affirmatur quòd consenserint. Concordat c.qui tacet. 43.de reg.iuris,in 6.his uerbis*: Qui tacet,consentire uidetur. *Aliud exemplum habetur l. qui in seruitute.160. ff.de reg.iuris. ubi dicitur,* Eum qui poßidetur,poßidere non uideri. At seruum poßideri.Ergo seruum poßidere non uideri. Hic de actu poßideri negatur poßidere. Ideoq; idem negatur de seruo qui poßidetur.

3. *Factum infectum fieri nequit. l.1. §.si uir. ff. de adq.posseß.ubi Paulus*: Res(*inquit*)facti infirmari iure ciuili non potest. *Concordat l.uerum est,31.ff.de reg.iuris. cuius uerba uide s. cap.4.de pactis,reg.14.*

A' subiecto.

1. *Quod affirmatur uel negatur de subiecto, idem etiam affirmatur uel negatur de eius accidente,exemplo l.uetus.75.uers.& cum poßit.ff.de usufructu. ubi Vlpianus*: Cum (*inquit*) posſit partus legari, poterit & ususfructus eius. *Aliud exemplum est l.1.ff.eod.tt.ubi Celsus:* Est(*inquit*) usus fructus ius in corpore: quo sublato, & ipsum tolli necesse est. *Aliud exemplum est Instit.de capitis deminut. §. seruus autem. ubi Imp.Iustinianus*: Seruus(*inquit*)

quit) manumiſſus capite non minuitur: quia nullum caput habuit. *Hic caput, hoc eſt ſtatus, negatur in ſeruo, & ob id capitis quoq; deminutio, ſeu ſtatus mutatio in eodem negatur. Huc itaq; referri quoq; poteſt regula hæc: Deficiente habitu, priuatio eſſe nequit. Sed de ea dicetur* ℈. *in loco* A' *priuatiuis oppoſitis. Aliud exemplum habetur l.7. §.fin. C.de bonis quæ liberis, bis uerbis:* Vt Imperialis fortuna omnes ſupereminet alias, ita oportet & principales liberalitates culmen habere pręcipuum.

2. *Pro dignitate & uilitate ſubiecti æſtimatio fit accidentis, exemplo d.l.7.§.fin.iam propoſito: Aliud exemplum habetur* Inſt.*de iniurijs.* §.*pœna.ibi: nam ſecundum.ubi* Imp.*Iuſtinianus:* Secundum gradum *(inquit)* dignitatis uitæq; honeſtatem creſcit aut minuitur æſtimatio iniuriæ.

3. *Verba ſecundum ſubiectam materiam ſunt intelligenda, exemplo l.ſtipulatio iſta.38.§.hi qui ſunt. ff.de uerb.obligat. ubi uerba hæc,* Habere, i*re, agere, poßidere, licere, quæ aliâs ius cõtinent, in perſona ſerui & filijfamiliâs factum ſignificãt. Aliud exemplũ habetur l.ſi ſtipulatus.4.in prin. ff.de uſuris. ubi ſtipulatio* Rem *dari, quæ aliâs dominij translationem denotat (l.ubi autem. 75. §. fin.ff.*

fin.ff.de uerb.obligat. l.non uidetur.127. in prin. ff.de reg.iuris.)in contractu emptionis interposita factum tradendi significat, secundum naturam contractus emptionis & ueditionis,cuius ui uenditor emptori rem tradere tenetur,nec habet necesse eam emptoris facere.l.si ita.25.ff.de contrah. empt. l.ex empto.11.in prin.ibi:quæ res. & l.seruus.30.§.fin.ibi:quamuis enim.ff.de action.empti & uenditi.item l.1.in prin.ibi:uenditori.ff.de rer. permutat. Stipulatio itaq; accipienda pro natura contractus in quo interposita est. Cuius etiam exemplum habetur l.si eum.10. §.qui iniuriarum. ff.si quis cautionibus in iudicio sistendi causa.

4. *Cuius subiectum est,eius etiam est accidens. Vnde superficies cedit solo: sata, plantata, ædificata in solo alieno non serenti, plantanti & ædificanti, sed domino soli adquiruntur: ut* M. I. C. *lib.7. cap.1.causa 10.ostendi. Hinc etiam dicitur, omnem fructum nō iure seminis,sed iure soli percipi.l.qui scit.25.in prim.ff.de usuris.*

A' causa efficiente.

Post locum à subiecto posuimus ꝭ.*locum à connexis.Verùm quia hic locus relatiua sub se continet, quæ etiam repugnantium loco subijciuntur: ideo de connexis in repugnantium loco dicetur. Nunc ad locum à causis, eiusq; regulas transeundum:cumq; sint quatuor causæ* [illegible] *efficiēs,*

materia,

materia, forma & finis, de singulis ordine dicetur, & primum de loco à causa efficiente.

1. *Qualis est causa, talis etiam censetur effectus, exemplo l. quisquis. 5. §. filij uerò. C. ad l. Iuliam maiestatis. ubi ex malis parentibus præsumuntur nasci mali filij: quemadmodum etiam ex illegitimo matrimonio illegitimi nascuntur liberi, & ex seruis serui.*

2. *Quod est causa causæ, idem est causa causati seu effectus, exemplo l. etsi amici. 9. ff. ad l. Iul. de adulter. ubi qui causam præbuit colloquio, adulterio quoq;, quod ex colloquio isto secutum est, causam præstitisse uidetur. Sic contractus est causa obligationis, obligatio actionis causa est.* Ergo *& contractus erit causa actionis.*

3. *A' pari causa par procedit effectus, exemplo l. de quibus. 31. §. inueterata. ff. de legibus. ubi expressus & tacitus populi consensus, seu lex & consuetudo æquiparantur, & infertur, utriusq; eandem uim & potestatē esse in iure producēdo.*

4. *Cessante causa, cessat effectus. c. etsi Christus. 26. §. quemadmodum ergo Paulus, in fine. extr. de iureiurando.*

5. *Resoluto iure datoris, resoluitur ius acceptoris, exemplo l. debitor. 40. §. fin. ff. de pignorat. actione. ubi si creditor rem sibi pignori datam alij pignori obligauerit: domino rei debitum soluen-*

te, etiam secundi pignoris ius euanescit.

6. *Prohibita causa, prohibitus quoq; censetur effectus: seu, Cum quid prohibetur, prohibentur omnia quae sequuntur ex illo. c. cum quid. 39. de reg. iuris, in 6.*

7. *Cum plures causae idem efficiunt, nihil interest qua quis ex ijs usus sit, exemplo* Inst. *de legatis. §. si quid in nomine. ubi* Imper. *Iustinianus:* Nomina(*inquit*) significandorum hominũ gratia reperta sunt, qui si alio quolibet modo intelliguntur, nihil interest. *Aliud exemplum proponitur d. §. inueterata. ubi dicitur, nihil interesse, suffragio populus suam uoluntatem declaret, an rebus ipsis & factis. Si tamen una causa compendiosior sit altera, praestat compendiosiore uti. Frustra enim fit per plura, quod fieri potest per pauciora, exemplo* Instit. *de iusticia & iure. §. his igitur.* Accedit Tiraq. *lib. 2. retractus. §. 2. gloss. unica, num. 24.*

8. *Cum plures causae ad eundem requiruntur effectum, quamuis una extiterit, tamen caeteris deficientibus deficit effectus, exemplo* L. *ubi lex. 24. in prin. ff. de usucapionibus. ubi* Pomponius: Vbi lex(*inquit*) inhibet usucapionem, bona fides possidenti nihil prodest.

A causa materiali.

1. *Sublata materia, tollitur effectus.* Q*ua ratione in-*

ne introductum est Senatusconsultum Macedonianum, quo filijsfamiliarum mutua pecunia tanquam peccandi materia dari prohibetur. l.1. in prin. ff. ad S. C. Macedonianum. & ueneni mali uenditio prohibetur, ne inde homicidij materia suppeditetur. l.3. in prim. & §. alio senatusconsulto. ff. ad l. Cornel. de sicarijs.

2. *Materia cedit speciei. Inst. de rerum diuis. §. quum ex aliena.*

3. *Qui materiam rei in aliam alterius generis mutat, non tam reficere, quàm aliud facere uidetur, exemplo l.1. §. si quis terrenum. ff. de riuis.*

A' causa formali.

1. *A' forma res denominatur, exemplo l. iurisgentium. 7. §. quod ferè. ff. de pactis. ubi pactum, cui uerba hæc adijciuntur,* Rogauit Titius, spopondit *Mæuius: stipulatio denominatur.*

2. *Deficiente forma, deficit effectus, exemplo l. non sunt. 14. ff. de statu hominũ. ubi* Paulus: Non sunt (*inquit*) liberi, qui contra formã humani generis cõuerso more procreantur: ueluti si mulier mõstrosum aliquid aut prodigiosum enixa sit. *Aliud exemplum proponitur l.1. §. si quis ita. ff. de uerb. obligat. ubi dicitur, si interrogatus sine uerbis annuisset, non tantùm non ciuiliter, sed nec naturaliter eum qui ita annuit, obligari.*

3. *Mutata forma, propè interimitur substantia rei, ut alia res cẽseatur. l. Iulianus. 9. §. si quis rem. ff. ad exhibendum. & l. Seia. 6. ff. de auro legato.*

A' causa finali.

1. *Accessorium naturam conuenit sequi principalis. c. accessorium. 42. de reg. iuris, in 6.*

2. *Cum principalis causa non consistat, plerunque nec ea quidem quæ sequuntur, locum habent. l. cum principalis. 138. ff. de reg. iuris. Concordat ijsdem uerbis l. nihil dolo. 171. in fine. ff. eod. tt.*

3. *Quod ob causam datum est, causa non secuta uenit restituendum, exemplo l. 1. C. de condict. ob causam.*

4. *Accesio cedit principali. l. cum autem. 20. §. perueniamus. ibi: semper. ff. de auro legato.*

5. *Propter quod aliquid tale est, id magis est tale, exemplo l. in pecudum. 28. in fin. ff. de usuris. ubi dicitur, fructus propter hominem rerum naturam comparasse. ex quo infertur, hominem fructibus præstare.*

6. *Non plus in accessione potest esse, quàm in re principali. Inst. de fideiussor. §. fideiussoribus.*

7. *Qualis est finis, tale id etiam censetur, cuius est finis, seu factum quod ad finem tendit, exemplo l. 4. §. itemq; fieri. ff. de alienat. iudicij mutandi causa. ubi alienatio iudicij mutandi causa facta, quæ per se prohibita est, fit licita, si lites execrandi animo*

di animo fiat. Aliud exemplū habetur l.1.in prin. ibi:quiúe hominis occidendi. ff.ad l.Cornel.de ficarijs. ubi gerere gladium,per se quidem licitum, fit illicitum,si hominis occidendi causa gladius geratur. Huc uidetur pertinere l.rapienda.128. in fin.ff.de reg.iuris.cuius hæc sunt uerba: Quod factum est, cum in obscuro sit, ex affectione cuiusq; capit interpretationem. *Item huc pertinet* s̃. *cap.5. de exceptionibus ex causa facti desumptis,reg.1.*

8. *Fine existente,cessat actio quæ ad finem tendit,exemplo l.actione.65.§.item si alicuius.ff.pro socio. ubi cessat societas,quæ finem suum erat consecuta. Aliud exemplum est Instit.de authoritate tutor. §.fin. ubi desinit curator esse finito negocio, ad quod curator datus erat. Sic etiam l.1.§. interdictum. ibi:actio enim. ff.uti poßidetis,dicitur actio possessori denegari: quia ob id actio datur,ut rem poßideamus.*

9. *Quod contra uel præter finem & usum rei fit,ratum non est, exemplo l.aut damnum.8.§.solent præsides. ff. de pœnis. ubi reprehenduntur præsides, qui pœnæ causa homines in carcerem conijciunt: cum carcer ad custodiendos, non ad puniendos homines pertineat.*

10. *Quod pro quibusdam introductum est, inferre eis iacturam, minimè rationi conuenit æquitatis.*

quitatis.l.plures.18.in fine.C.de fide instrum.

Ab effectu.

1. *Ex euentu iudicium,exemplo l.rem non nouam.12.§.fin. C.de iudicijs. ubi Imp.Iustinianus:* Causæ(*inquit*) terminus manifestare poterit,qui timidius, quiq; audacius iudicium uel reliquerunt, uel protulerunt. *Sic ex partu probatur concubitus, & ex uulnere cadaueris reperti cædes.*

2. *Qualis est effectus, talis etiam censetur esse causa, iuxta dictum Christi:* Ex fructibus eorum cognoscetis eos:Matth.cap.7.

3. *Prohibito effectu,ipsa quoq; causa prohibita censetur: & cum quid una uia prohibetur alicui, ad id alia nō debet admitti.c.cum quid.84.de reg. iuris,in 6. Vnde cum nuptiæ inter senatores & libertas essent prohibitæ, Vlpianus ex eo infert, sponsalia quoq; inter easdem personas esse prohibita.l.oratio.16.ff.de sponsalibus. Plura de regula proposita uide apud Gabriel.lib.1.cap.de præsumptionibus,conclus.7.*

4. *Concesso effectu,simul etiam eius causa censetur concessa, exemplo l.1. §.usufructus.ff.si usufructus petatur. ubi usufructu legato, dicitur deberi etiam aditum & alia, sine quibus omnino uti frui legatarius non potest.Aliud exemplū habetur l.2.ff.de iurisdictione. ubi Iabolenus:* Cui iurisdi-

iurisdictio (*inquit*) data est, ei quoq; concessa esse uidentur, sine quibus iurisdictio explicari non potuit.

5. *Causa quæ effectu caret, pro nulla habetur, exemplo l. non uidentur. 127. ff. de reg. iuris. ubi dicitur:* Non uidentur data, quę eo tempore quo dantur, accipiētis non fiunt. *Huc pertinet regula hæc : Paria sunt, aliquid non esse factum, & inutiliter esse factum. de qua dictũ 5. cap. 5. de exceptionibus ex ijs quæ facto insunt, desumptis, in prin. Item huc pertinet regula hæc: Quod caret effectu, nomine etiam caret. l. cum precibus. 18. C. de probationib. Tiraq. lib. 1. retractus. §. 1. gloss. 2. num. 9. in fine.*

A' contingentibus.

Hic locus complectitur signa & indicia, quibus non minor quàm instrumentis fides attribuitur. l. indicia. 19. C. de rei uendicat. Hæc triplicia sunt: Nam ex his alia simul & causa rei sunt: ueluti uulnus in corde, causa simul & signũ est mortis instantis. alia effectus rei simul & signa sunt: ueluti partus effectus simul & signum est concubitus. alia deniq; neq; causa, neq; effectus sunt, sed signa tantùm: ueluti coruorum raucus clamor, anserum strepitus, & humilior uolatus hirundinum, signa tantùm sunt futuræ pluuiæ, non causa, neq; effectus eius. Signorum item alia necessaria sunt,

ſunt, alia non neceſſaria. Non neceſſariorum ſignorum regula hæc eſt: Nõ probat hoc eſſe, quod ab eo contingit abeſſe, exemplo l. neq; natales. 10. cum ſua gloſſa. C. de probationibus.

A nomine.

1. *Nomina perſonarum & rerum ſignificandarum gratia reperta ſunt. Inſt. de legatis. §. ſi quis in nomine, in fine. nec genus aut qualitatem perſonæ uel rei probant, exemplo l. ult. §. penult. ff. ad municipalem. ubi reſcriptum eſt, cum quæritur an municeps quis ſit? ſolam nominis ſimilitudinem ad confirmandam cuiuſque originem ſatis non eſſe: ideoq; ex ipſis etiam rebus probationes ſumi oportere. Cui concordat l. ad recognoſcendos. 10. C. de ingenuis manumiſſis. Sic etiam à nomine figurato ad genus non ualet argumentum. ueluti: Homo appellatur bulla: Ergo homo non eſt animal. Chriſtus appellatur uia, ueritas & uita: Ergo non eſt homo. Etymologia tamen ſeu ratio nominis in appellatiuis nominibus argumentum ſæpe ſuppeditat. ut l. 2. §. appellata. ff. ſi certum petatur, quia mutuum appellatũ ſit, quòd de meo tuum fiat, ex eo infertur, ſi ex meo tuum non fiat, non eſſe mutuũ. Sic etiam l. 1. in prin. ff. de nouationibus, ex eo quòd nouatio à nouo nomẽ acceperit, infertur nouationẽ prioris debiti in aliã obligationem eſſe trãsfuſionem ac translationem.*

2. Na-

2. *Natura rerum inductum est, ut plura sint negocia quàm uocabula. l. natura. 4. ff. de præscriptis uerbis. ubi infertur, si contractus aliquis incidat, qui peculiare nomen non habeat, ex eo præscriptis uerbis actionem competere.*

A` comparatis.

Hic locus triplex est: à maiori, à minori, & à pari: quorum singulorum generum aliquot regulas subijciemus, & primùm loci à maiori.

1. *Non debet, cui quod plus est licet, quod minus est non licere. l. non debet. 21. ff. de reg. iuris. Concordat c. cui licet. 53. de reg. iuris, in 6. his uerbis:* Cui licet quod est plus, licet utique quod est minus. *Huius exemplum habetur l. nemo. 37. ff. de reg. iuris, hisce uerbis:* Nemo qui condemnare potest, absoluere non potest. *Aliud exemplum habetur l. qui potest. 26. ff. eod. tt. cuius uerba uide s. cap. 3. de rer. alienatione. Aliud exemplum habetur l. cui ius. 123. ff. eod. tt. cuius uerba uide s. cap. 4. de uenditione, reg. 3. Item eius exemplum est l. cum quis. 125. in prin. ff. eod. tt. cuius uerba uide d. loco de uenditione, reg. 2. Aliud item exemplum habetur l. de accessionibus. 14. in prin. ibi: nam qui me. ff. de diuersis tempor. præscript. ubi Scæuola:* Qui me (*inquit*) potior est, cum ego te superaturus sum, multò magis aduersus te obtinere A maiori.

tinere debet. *Ex quo loco Doctores colligunt regulam hanc: Si uinco uincētem te, & te uinco.*

2. *Si id quod minus uidetur inesse, inest, id quoq; quod magis uidetur inesse, inerit, exemplo l.3. §. sic autem. ff. de bonis eorum qui ante sententiam. ubi, cum plus sit sibi manus inferre, minus alij inferre manus, infert Martianus:* Qui sibi non pepercit, multò minus alij parcet. *Concordat l. cum autem. 23. §. excipitur & ille qui mortis. ff. de ædilitio edicto. ubi Vlpianus de seruo qui sibi mortem consciscere uoluit:* Nihil non (*inquit*) in alium ausurus, qui hęc aduersus se ausus esset.

3. *Quod maioribus & magis priuilegiatis non licet, id nec minoribus licebit, exemplo l. ult. §. uiri etiam. C. de decurionibus. ubi dicitur:* Quod summis apicibus dignitatum non est concessum, hoc alij sibi non audeant uendicare. *Aliud exemplum habetur l. non debet. 41. ff. de reg. iuris. ubi cum fauorabiliores sint partes rei quàm actoris, ut s̄. suo loco ostēsum: ex eo infert Vlpianus:* Non debere actori licere, quod reo non permittitur. *Aliud item exemplum habetur l. his solis. 7. §. fin. C. de reuocandis donationibus. ubi priuilegium reuocandarum donationum, quod denegatur ijs quæ iure nuptias iterauerint, multò magis dicitur denegan*

dum

dum ijs quæ contra ius luxuriantur, suntq́; abiectæ pudicitiæ.

4. *Duo uincula fortius ligant quàm unum, exemplo Inst. de nuptijs. § sed hodie. l. cum in adoptiuis. 10. § si uerò pater, cum sua glossa. C. de adoptionib. l. re coniuncti. 87. & ibi Iason. ff. de leg. 3. Auth. itaq;. C. communia de successionibus.*

5. *Plus est statim aliquid dare, minus est post tempus dare. Instit. de fideiussoribus. § non solùm autem.*

6. *Melius est occurrere in tempore, quàm post exitum uindicare. l. 1. C. quando licet unicuiq; sine iudice.*

7. *Turpiter accepta pecunia iustius penes eum est qui deceptus est, quàm qui decepit. l. si procurator. 9. in fin. ff. de doli mali except.*

8. *Turpius eijcitur quàm non admittitur hospes. c. quemadmodum. 25. §. alioquin. uers. quia turpius. extr. de iureiurando.*

9. *Interest nostra potius non soluere, quàm solutum repetere. l. ideo. 3. ff. de compensat.*

10. *Sanctius est paucos bonos, quàm multos malos habere. c. cum sit ars. 14. uers. sanctius enim. de ætate & qualitate præficiendor. Hæc de regulis loci à maiori. Sequuntur regulæ loci à minori.*

1. *Non debet cui quod minus est non licet, quod maius est licere, exemplo l. relegatorum. 7. § fin.* A minori.

uers.est enim.ff.de interdictis & releg. ubi Vlpia*nus ait:* Est perquam ridiculum, eum qui minoribus honorib. pœnæ causa prohibitus sit, ad maiores adspirare. *Concordat l.4.ff.de Senatoribus, his uerbis:* Qui indignus est inferiore ordine, indignior est superiore.

2. *Minus cedit maiori, exemplo l.3.C.de metatis. ubi iudices à prætorijs superiorum iudicum ijs præsentibus iubentur abstinere. Sed & eius exemplum est in accessoria & principali obligatione, si utraq; in eandem personã deuenerit: tunc enim accessoria tãquam minor expirat. l.5.in prin.ff.de fideiuss. Sequitur locus à pari cum suis regulis.*

A pari. 1. *Parium paria quoq; sunt iudicia. Quæ regula approbatur per ea quæ proponentur 7. cap. prox. in loco à ratione legis, reg.1. Sed & eius exemplum est l.arboribus.12.§.de illo.ibi: nam qua ratione. ff.de usufructu. ubi possessio & usus fructus æquiparantur, & infertur, quemadmodum possessio fuga serui non amittitur, sic nec usumfructum fuga serui amitti. Aliud exemplum habetur l.bona fides.178.ff.de reg.iuris. ubi Paulus:* Bona (*inquit*) fides tantundem possidenti præstat, quantum ueritas, quoties lex impedimento non est.

2. *Paria item sunt, per se & per alium quid facere.*

cere. Nam qui facit per alium, est perinde ac si faciat per seipsum. c. qui facit. 72. de reg. iuris, in 6. Et potest quis per alium, quod potest facere per seipsum. c. potest. 68. eod. tt. Et quod quis suo nomine exercere prohibetur, id neq; per subiectam personam agere debet. l. 2. §. 1. ff. de administrat. rer. ad ciuitates pertinent. Item, quod alicui suo non licet nomine, nec alieno licebit. c. quod alicui. 67. de reg. iuris, in 6.

A' simili.

Similium idem est iudicium, exemplo l. 3. §. 1. ff. stellionatus. ubi Vlpianus: Quod (*inquit*) in priuatis iudicijs est de dolo actio, hoc in criminibus est stellionatus persecutio. Vbicunque igitur titulus criminis deficit, illic stellionatum obijciemus.

A' dissimili.

Dissimilium diuersum est iudicium, exemplo l. penult. §. Latinus. ff. de except. rei iudicatæ. ubi Paulus ait: Non ut in proprietatis quæstione, quod meum est, alterius nõ est: ita in obligatione utiq; cõsequens est, ut non sit alijs obligatũ, quod hic probauit sibi teneri.

A' repugnantibus.

Repugnantium uaria sunt genera. Nam ex ijs alia opposita dicuntur, alia disparata seu differentia.

tia. Opposita rursus diuiduntur in relatiua, contraria, priuatiua & contradicentia: quorum omnium definitiones & exempla ex lib. 1. Dialectices meæ petere licet. Nunc singulorum regulas enumerabimus, & primùm relatiuorum.

A' relatiuis.

1. Posito uno relatiuorum, ponitur & alterum. Sunt enim simul natura. Ideoq; si pater est, necesse est & filium esse: si actor est, & reus erit: si uenditor, & emptor, &c. Huius regulæ species est: Posita causa, ponitur effectus: & contrà posito effectu, ponitur & causa. de qua s. diximus.

2. Negato uel remoto uno relatiuorum, negatur uel remouetur simul & alterum. Proinde si pupillus esse definit morte uel pubertate interueniente, definit quoq; tutor esse: mortua uxore, maritus amplius non est, sed uiduus. Huic subijciuntur regulæ hæ: Cessante causa, cessat effectus. Causa principali non subsistente, nec accessoriũ subsistit. de quibus s. diximus. Item, negato habitu, priuatio esse nequit. de qua j. in priuatiuis oppositis dicetur.

3. Quod iuris est in uno relatiuorum, idem etiam iuris esse censetũr in altero, exemplo l. non tantum. 20. ff. de re iudicata. ubi quod in mariti persona cautum est, etiam ad uxoris personam transfertur. Aliud exemplum habetur Nouell. 117.

§. sed

§.sed & illud. ubi quod in filiorum persona cautum est, etiam in matris persona iubetur obseruari. Huic *regulæ tanquam species subijciuntur hæ regulæ:* Accessorium *sequi naturam sui principalis.* Surrogatum *sapere naturam eius, in cuius locum est surrogatum, exemplo l. in duobus. 28. §. 1. ibi: nam quod in. ff. de iureiurando. Successorem eiusdem iuris esse, cuius fuerit is, in cuius locum successerit.* Resoluto *iure datoris, resolui ius acceptoris. de quibus regulis s. dictum est.*

4. Relatum, *& id ad quod fit relatio, non possunt esse in eodem subiecto, nisi diuerso respectu, exemplo l. cum essent. 33. §. fin. ff. de seruit. rustic. prædior. ubi Africanus:* Nullum *(inquit)* prædium ipsum sibi seruire potest. *& l. liber homo. 13. in prin. ff. ad l. Aquiliam. ubi Vlpianus:* Dominus *(inquit)* membrorum suorum nemo uidetur. *Sic etiam l. nemo. 5. C. de legitima tutela, dicitur ferendum non esse, eundem esse tutorem, & sub cura agere: hanc enim & nominum & rerum fœdam esse confusionem.* Ratione *propositæ regulæ, si prædium seruiens & dominans eiusdem esse cœperit, seruitus extinguitur. l. quidquid. 11. ff. com. prædior. quemadmodum etiam uerborum obligatio resoluitur, cum in eandem personam ius stipulantis promittentisq; deuenit. l. uerborum. 107. in fin. ff. de solutionibus.*

A' contrario.

1. *Duo cõtraria non possunt esse in eodem subiecto. Ideòq; uno posito, tollitur alterum: & contrà, uno sublato, alterum ponitur, exemplo l. hæc uerba. 124. in prin. ff. de uerb. signif. ubi* Proculus: Disiunctiuum (*inquit*) est, ueluti cum dicimus: Aut dies, aut nox est. Quorum posito altero, necesse est tolli alterum: item sublato altero, poni alterum. *Aliud exemplum habetur l. ult. §. omnes enim. C. unde ui. ubi dicitur*: Omnes scire debent, quod non suum est, hoc ad alios modis omnibus pertinere. *Sic etiã contrà, eo ipso quòd rem meam esse pronunciatum est, ex diuerso pronunciatum uidetur tuam non esse. l. si inter. 15. ff. de except. rei iudicatæ. & l.* Pomponius. *41. §. sed & is, in fin. ff. de procuratoribus.* Huc pertinet *regula hæc, Quòd eadem res non posit diuerso iure censeri, exemplo l. eum qui ædes. 23. in medio & in fin. ff. de usucapionibus.*

2. Q*uod iuris est in uno cõtrariorum, eius contrarium obtinet in altero: seu, Contrariorum eadem est scientia atq; disciplina, exemplo l. qui accusare. 8. ff. de accusationibus. ubi Macer*: Qui (*inquit*) accusare possunt intelligemus, si scierimus qui non possunt. *Aliud exemplum est l. 3. §. prima uerba. ff. de sepulchro uiolato. ubi*

to.ubi Vlpianus:Prima*(inquit)*uerba oſtendunt, eum demum hoc edicto plecti, qui dolo malo uiolauit. Si igitur dolus abſit, ceſſabit in eiuſdem perſona pœna. *Aliud exemplum habetur l.inter.26. §.cum inter.ff.de pactis dotalibus. ubi* Papinianus: Cũ *(inquit)* inter patrem & generum conuenit,ut in matrimonio ſine liberis defuncta filia, dos patri reſtituatur: id actum inter contrahentes intelligi debet, ut liberis ſuperſtitibus filia defuncta, dos retineatur.*Hoc argumentum Doctores appellant* A' *contrario ſenſu,poteſtq; huic regulæ tanquam generi ſpecies ſubijci regula hæc,* Quòd *exceptio firmet regulam in caſibus non exceptis: de qua j.cap.prox. in loco* Ab *exceptione, reg.2. dicetur.*

3. *Allegans contraria non eſt audiendus,exemplo l.1. C.de furtis. Concordat l.ubi pugnantia. 148.ff.de reg.iuris,his uerbis:* Vbi pugnantia inter ſe in teſtamẽto inueniuntur,neutrum ratum eſt.

A' priuatiuis oppoſitis.

1. *Deficiente habitu,priuatio eſſe nequit,exemplo l.non poteſt.208. ff.de reg. iuris. ubi Paulus:* Non*(inquit)* poteſt uideri deſijſſe habere,qui nunquam habuit. *Aliud exemplum*

habetur l.qui poteſt.134.in fin. ff.eod.tt. ubi Iu-lianus: Quod quis (*inquit*) ſi uelit habere, non poteſt,id repudiare non poteſt. *Aliud habetur l.3.ff.eod.tt.ubi Vlpianus:* Eius(*inquit*) eſt nolle,qui poteſt & uelle. *Item l. qui uetante.102.ff.eod.tt.ubi idem:* Eius(*inquit*) eſt actionem denegare,qui poſsit & dare. *Aliud exemplum habetur l.4.ibi:nec eſſet nota.ff.de iuſticia & iure.ubi idem:* Non (*inquit*) eſſet nota manumiſsio,cum ſeruitus eſſet incognita.

2. *Priuatio præſupponit habitũ.Vnde qui priuationem fatetur, ſimul etiam fatetur habitum præceßiſſe:puta,ſi dicat ſe liberatum,hoc ipſo fatetur ſe obligatũ fuiſſe: cum (iuxta regulam præcedentem) liberari non potuerit, niſi fuiſſet obligatus.l.decem.116.in fin.ff.de uerb.obligat.*

3. *Priuatio unius, eſt habitus alterius: & contrà, unius habitus, eſt priuatio alterius, exemplo l.1.§.ſi uir uxori.ff.de adquir. poſſeß. ubi Paulus ex eo, quòd maritus amiſerit poſſeßionem rei uxori donatæ, infert, uxori poſſeßionem adquiſitam. Sic ex quibus cauſis denegatur actio,ex iiſdem datur exceptio: & ex quibus cauſis tollitur obligatio,ex iiſdem contingit liberatio. Contrà, non intelligitur amiſſum, quod alteri adquiſitum non eſt.l.nec utilem.20.in fine.ff.ex quibus cauſis*

maiores. l.peregrè.44.§.fin.ff.de adq.posseß.& l.nullo.24.C.de rei uendicatione.

4. *Ex modo habitus æstimatur modus priuationis, exemplo l.quamuis.46. ff.de adq. posseß. ubi* Pompon. Vt(*inquit*)eodem modo uinculum obligationis soluitur,quo queri assolet: ita non debet ignoranti tolli possessio, quæ solo animo retinetur. *Plura exempla uide s̄. cap.3. reg.generali 10. & cap.6.reg.generali 1.*

5. *Ex modo priuationis æstimatur modus habitus, exemplo l.de quibus.31. §.fin. ff. de legibus. ubi ex eo, quòd ius tacito populi consensu in desuetudinem abire & abrogari poßit, infertur, illud quoque posse tacito populi consensu per consuetudinem introduci atq; constitui.*

A' contradicentibus.

Ex duobus contradicentibus uno posito, alterum tollitur,exemplo l.iurisgētium.7.§.& ideo. ff.de pactis.ubi proposito hoc contractu,Dedi tibi Stichum,ut Pamphilum manumittas,manumisisti,euictus est Stichus: Iulianus in factum actionem à Prætore dandam esse ait,Martianus negat, cuius sententiam Vlpianus ibi comprobat,Iuliani sententia reprobata. Huc pertinent antinomiæ iuris, seu leges contrariæ,quarum una comprobata,necesse est alteram tolli. Sic etiam constitutio-

nes

nes posteriores derogant prioribus. l.4.ff.de constitutionibus principum.

A' disparatis seu differentibus.

Hactenus oppositorum genera quatuor cum suis regulis enumerauimus. nunc de altero repugnantium genere, hoc est, de disparatis seu differentibus, quæ & separata dicuntur, differendum.

1. *Separatorum separata est ratio: seu, De rebus plurimum inter se differētibus idem intelligi non potest, exemplo l.naturaliter.12.ff.de adq.possess. ubi Vlpianus:* Nihil(*inquit*)commune habet proprietas cũ possessione. Et ideo non denegatur ei interdictum Vti possidetis, qui cœpit rem uendicare: non enim uidetur possessioni renunciasse, qui rem uendicauit. *Aliud exemplum habetur l.permisceri.52. in prin. ff.eod.tt. his uerbis:* Permisceri causas possessionis & usufructus non oportet: quemadmodum nec possessio & proprietas permisceri debét: neq; impediri possessio, si alius fruatur: neq; alterius ususfructus amputari, si alter possideat.
2. *Si diuersa facta sunt, diuersa res est. l.qui res suas.98.§.mihi Romæ.ff.de solutionibus.*
3. *Vtile per inutile non uitiatur. l.1. §.sed etsi mihi, in fin. ff.de uerb.obligat. Concordat l.2.ff.*

de

de itinere actuq; priuato, his uerbis: Nec corrumpi aut mutari quod rectè transactũ est, superueniente delicto potest. *Concordat item c.utile.37. de reg.iuris, in 6. his uerbis*: Vtile non debet per inutile uitiari. *Huc pertinet etiam regula hæc*: *Abusus non tollit usum.c.neq; enim.14.quæst.5.*

DE LOCIS PROBATIONUM specialibus, eorumq́; regulis. Cap. VIII.

Cum sint duplices loci, ex quibus argumenta probationum sumuntur: generales uidelicet siue communes, & speciales siue proprij tam simplicis quàm compositi thematis, ut s̃.ostẽdi: regulas generalium siue communium locorum hactenus enumerauimus. Nunc specialium locorum aliquot regulas subijciemus. Sunt autem speciales siue proprij loci alij simplicis, alij compositi thematis. Simplicis thematis loci alij sunt personarum, alij rerum, alij actionum. Personarum loci à Dialecticis numerantur tredecim, nimirum A genere, à natione, ab ætate, à sexu, ab educatione, ab habitu corporis, à cõditione uitæ, à fortuna, ab animi natura seu habitu, à rebus gestis seu uita anteacta, à nomine, à genere mortis, & ab ijs quæ mortem sunt secuta: quorum locorum

rum regulas, quas quidem ex utroq; Iure colligere potui, §.cap.2. item cap.5.in exceptionibus ex persona facti desumptis enumeraui: quemadmodum etiam rerum locos speciales cum suis regulis §.cap.3.proposui,ut non sit opus eas hoc loco repeti. Actionum loci speciales siue peculiares nihil aliud sunt,quàm circumstantiæ factorum,hoc est, persona,res,causa, locus, tempus, modus, instrumentum,antecedentia, adiuncta et consequentia: ex quibus tum exceptiones iuris sumuntur, tum coniecturæ ac præsumptiones facti, tum denique amplificationes & deminutiones. Quomodo exceptiones iuris ex hisce circumstantijs sumantur, §.cap.5.est ostensum. Quomodo coniecturæ & præsumptiones facti ex ijsdem circumstantijs sumantur, lib.2.Dialectices meæ, cap.de facti quæstione disputanda, cum aliquot sequentibus copiosius per regulas & exempla declaraui. Quemadmodum etiam d. lib.2. cap.de amplificationibus, regulas & exempla amplificationum & deminutionũ ex ijsdem circumstãtijs proposui: quæ cum inde peti poßint,non est opus ea hoc loco repeti.

Ab officio legis.

Porrò compositi thematis, siue legis,uel alterius dispositionis, sex locos peculiares in Dialectica mea enumeraui, nimirum thematis siue legis officium,rationem, uerborum interpretationem,

exce-

exceptiones, ulteriorem descriptionem, ac mutationem: ex quibus singulis etiam regulæ & argumenta probationum sumi possunt. Ab officio legis desumpta est regula hæc: Lex ultra officium suum non porrigitur, exemplo l.2.§.si quis nemine. ff. ne quid in loco publico fiat. ubi ex eo quòd interdictum loci publici prohibitorium sit, non restitutorium, infertur, Si quis nemine prohibente in publico ædificauerit, ad illud tollendum seu restituendum interdicto agi non posse. Lex tamen quæ in præteritum quid indulget, in futurum uetat. l. cum lex.21.ff.de legibus. Quod exceptionis loco notandum. Sed & lex sæpe ad alios casus, quàm quorum lex est, extenditur, si eadem sit ratio: de qua re ∫.reg.prox.dicetur.

A ratione legis uel alterius dispositionis.

1. *Vbi eadem est ratio, ibi idem ius est constituendum: & ubi diuersitatis ratio reddi nequit, ibi diuersum ius obseruãdum non est. l.non possunt.12. cum l.sequente.l.ideoq;.27.et l.deniq;.32.in prin. ibi: & si qua in re.ff.de legibus. Planè quod non ratione introductum est, sed errore primùm, deinde consuetudine obtentum, in alijs similibus non obtinet.l.quod non.39.ff.eod.tt. de qua re dictum quoq; s̃. cap.3. de iure & legibus, reg.12. Sed & quæ propter necessitatem recepta sunt, non debent*

bent in argumentum trahi. de quo ibidem reg. 10. est dictum. Constitutiones quoque personales seu priuilegia ad exemplum non trahuntur. l. 1. in fin. ff. de constitut. & Inst. de iure naturali. §. sed & quod. ibi: planè ex constitutionibus. Quemadmodum nec res iudicata: cum non exemplis, sed legibus sit iudicandum. l. nemo. 13. C. de sententijs & interlocutionibus.

2. *Cessante legis ratione, cessat lex, exemplo l. adigere. 6. §. quamuis. ff. de iure patronatus. & l. quod ait. 11. §. ait lex. ibi: etenim. ff. de diuortijs. Huc pertinet regula hæc: Quod fauore quorundam constitutum est, quibusdam casibus ad læsionem eorum non erit torquendum. l. quod fauore. 6. C. de legibus. & l. nulla. 25. ff. eod. tt.*

3. *Abrogata legis ratione, ipsa quoq; lex censetur abrogata, exemplo Nouell. 118. §. enimuerò. Nam cùm iure antiquo adgnati cognatis in tutela præferrētur, quamuis remotiores gradu essent, hac ratione, quòd ijs etiam in succeßione præferebantur, l. 1. in prin. ff. de legitimis tutoribus. l. quo tutela. 73. in prin. ff. de reg. iuris. & Instit. de succeßione cognator. in prin. iure nouo hæc ratio sublata est, ut cognati cum adgnatis eiusdem gradus ad succeßionē uocentur. d. Nouell. 118. §. quin in omnibus. Vnde id etiam, quod in tutela iuris fuit, abrogatur. d. §. enimuerò.*

4. Que

4. *Quæ dubitationis tollendæ causa contractibus inseruntur, ius commune non lædunt. l.quæ dubitationis.81.ff.de reg.iuris. de qua etiam dictũ s.cap.5.de exceptionibus ex causa facti,reg.12.*

A' uerbis legis uel alterius dispositionis.

1. *In re dubia melius est uerbis edicti seruire. l. 1.§.si qui nauem.ff.de exercitoria actione.*

2. *Non aliter à significatione uerborum recedi oportet, quàm cum manifestum est, aliud sensisse testatorem.l.non aliter.67.ff.de leg.3.*

3. *Cum in uerbis nulla est ambiguitas, non debet admitti uoluntatis quæstio. l.ille aut ille.25. in fin.ff.de leg.3.*

4. *In ambiguo sermone non utrunq; dicimus, sed id duntaxat quod uolumus. l.in ambiguo.3. ff. de rebus dubijs.*

5. *Optimum est, non propriam uerborum significationem scrutari, sed in primis quid testator demonstrare uoluerit, tum in qua præsumptione sint, qui in quaqua regione commorantur. l.cum de lanionis.18.§.asinam. ibi: optimum ergo. ff.de instrum.legato.*

6. *Prior atq; potentior est mens quàm uox dicentis.l.Labeo.7.§.fin.ff.de supell.legata.Et in fideicommissis uolũtas magis quàm uerba plerunq; intuenda sunt. l.cum uerum.16. §.sanè quoniam.*

C.de fideicommißis. Et *l.scire oportet.15.§.aliud. ff.de excusat.tutor.Modestinus:* Etsi(*inquit*)maximè uerba legis hunc habeant intellectũ:tamen mẽs legislatoris aliud uult.

7. *Verba cum effectu sunt accipienda.l.1.§.hæc autem.ff.quod quisq; iuris in alterum.& l.penul. §.docere,in fin.ff.ne quis eum qui in ius uocab.*

8. *Verba non debent esse ociosa,sed ita intelligĩ debent,ut aliquid operentur,exemplo l.si quãdo. 106.in prin.ff.de leg.1.ubi Africanus:* Si quando quis(*inquit*) uxori suæ ea quæ uiuus donauerat,uulgari modo leget:non de alijs donationibus eum uideri sensisse, quàm de his quæ iure ualituræ non sunt. Alioquin frustra ei legaturus sit,si ita exprimat:Quæ uxori meæ iure donauero, ea ei lego. uel ita: Quæ uxori manumissionis causa donauero, ea ei lego.nam inutile legatum futurum est.

Ab exceptione legis uel alterius dispositionis.

1. *Exceptio restringit regulam in casibus exceptis.Hæc regula eadem est cum ea quam s̃.in loco A genere,reg.1.except.1. proposuimus, scilicet, Quòd species deroget generi. Proinde quæ ibi dicta sunt,huc quoq; possunt referri.*

2. *Exceptio firmat regulam in casibus non exceptis.*

ceptis. Nouell.7.§.ut autem lex. Exemplum habetur l.nam quod.4.§.fin.ff.de penu legata. ubi Paulus: Si cui(inquit) penus legata sit præter uinum, omnis penus legata uidetur, excepto uino.

3. Exceptio sequens declarat regulam præcedentem, exemplo d.§.fin.ubi idem Paulus: Si(inquit) ita sit scriptum, Omnem penum præter uinum quod Romæ erit, do lego: sola penus quæ Romæ est, legata uidetur. Et ita etiam Pōponius scribit.

Ab ulteriore descriptione.

Scire leges, nō est uerba earum tenere, sed uim & potestatem. l.scire.16.ff.de legibus. Vim autem & potestatem legum tenere dicitur non solùm qui legum scit exceptiones, exceptionum replicationes, & similes distinctiones, sed etiam quibus & aduersus quos ex lege proposita actio uel exceptio competat, quid in ea ueniat petēdum, quando & quamdiu competat, adiuncta, euentus & adfinia remedia. Vnde Sexti *Elij liber dicitur inscriptus fuisse* Tripartita, *quòd lege* XII. Tabul. *proposita, iuncta fuerit eius interpretatio, deinde legis actio. l.2.§.* Sextum Elium *etiam.ff.de origine iuris.*

De mutatione legis.

1. *Quod non mutatur, cur stare prohibeatur?*

l. sancimus. 27. in prin. C. de testamentis.

2. Eodem modo lex constituitur, quo mutatur, exemplo l. de quibus. 31. §. inueterata, in fin. ff. de legibus. ubi Iulianus probaturus leges tacito populi consensu constitui posse, argumentatur ab earum mutatione, scilicet quia abrogari quoque tacito consensu per desuetudinem poßint.

3. Mutata lege, non solum ipsa lex expirat, sed etiam omnes eius exceptiones & ulteriores distinctiones superuacuæ redduntur, totaq; actionis & exceptionis ista lege introductæ natura euanescit, exemplo l. 3. in prin. C. de edicto diui Hadriani tollendo.

DE PRAESVMPTIONVM regulis. Cap. IX.

HActenus probationum regulas per omnes locos tam generales quàm speciales enumerauimus. Quod si id de quo quæritur, non sit probatum, uel ex utraq; parte argumentis æquè probabilibus occurrentibus dubium sit, quid magis credendum uel sequendum sit: tunc regulæ præsumptionum sunt notandæ, quibus iudex, quid in dubijs quæstionibus maxime præsumendum uel sequendum sit, instruitur. Hæ itidem duplices sunt, generales & speciales. Generales præsumptionum regulæ sunt hæ.

1. Quoties

1. *Quoties æquitatem desiderij naturalis ratio aut dubitatio iuris moratur, iustis decretis res tẽperanda est. l. in ambiguis. 85. §. fin. ff. de reg. iuris.*

2. *Semper in dubijs benigniora præferenda sunt. l. semper. 55. ff. d. tt. Concordat l. rapienda. 128. in prin. ff. eod. tt. his uerbis:* Rapienda occasio est, quæ præbet benignius respon sum. *Item cõcordat l. ea quæ. 152. in fin. ff. eod. tt. his uerbis;* In re dubia benigniorem interpretationem sequi, non minus iustius est quàm tutius.

3. *Facta, quæ dubium est quo animo fiant, in meliorem partem interpretanda. c. estote. 2. extr. de reg. iuris.*

4. *Odia restringi, & fauores conuenit amplia ri. c. odia. 15. de reg. iuris, in 6.*

5. *Semper in obscuris quod minimum est sequimur. l. semper. 9. ff. de reg. iuris. Concordat l. semper. 34. in fin. ff. eod. tt. cuius uerba uide* ꝫ *.reg. 7. Item concordat c. in obscuris. 30. de reg. iuris, in 6. his uerbis:* In obscuris minimum est sequendum.

6. *Ex duobus malis minimum est eligendum. c. non solùm. 22. quæst. 4.*

7. *Semper in stipulationibus & in cæteris con tractibus id sequimur, quod actũ est. Vnde si non apparet quid actum sit, erit consequens ut id se-*

quamur, quod in regione, in qua actū est, frequentatur. Quid ergo, si neq; regionis mos appareat, quia uarius fuit? ad id quod minimum est, redigenda summa est. l. semper. 34. ff. de reg. iuris.

8. *In obscuris inspici solet quod uerisimilius est, aut quod plerunq; fieri solet. l. in obscuris. 114. ff. de reg. iuris. Concordat c. inspicimus. 45. de reg. iuris, in 6. his uerbis:* Inspicimus in obscuris quod est uerisimilius, aut quod plerunq; fieri consueuit.

9. *Quoties nihil sine captione inuestigari potest, eligendum est quod habeat minimum iniquitatis. l. quoties. 200. ff. de reg. iuris.*

10. *Quoties idem sermo duas sententias exprimit, ea potissimùm accipietur, quæ rei gerendæ aptior est. l. quoties. 67. ff. d. tt.*

11. *In ambiguis orationibus maximè sententia spectanda eius qui eas protulisset. l. in ambiguis. 96. ff. d. tt.*

12. *Quod factum est, cum in obscuro sit, ex affectione cuiusq; capit interpretationem. l. rapienda. 128. in fin. ff. de reg. iuris.*

13. *In re dubia contra eum qui legem apertius dicere potuit, interpretatio facienda. c. contra eū. 57. de reg. iuris, in 6.*

14. *In contrahenda uenditione ambiguum pactum contra uenditorem interpretandum est. l. in con-*

396

in contrahenda.132.ff.de reg.iuris.

15. *In eo quod uel is qui petit, uel is à quo petitur, lucri causa facturus est, durior causa est petitoris.l.in eo.33.ff.eod.tt. Concordat l.non debet. 41.in fin.ff.eod.tt. his uerbis:* In re obscura melius est fauere repetitioni, quàm aduenticio lucro.

16. *Quoties in utriusq; causa lucri ratio uertitur, is præferendus est, cuius in lucro causa tempore præcedit.l.quoties.98.ff.d.tt.*

17. *Cum de lucro duorum quæritur, melior est causa poßidentis.l.nemo.168.§.fin.ff.eod.tt.*

18. *Cum tempus in testamento adijcitur, credendum est pro hærede adiectum, nisi alia mens fuerit testatoris: sicut in stipulationibus promissoris gratia tempus additur. l.cum tempus.17. ff.de reg.iuris.*

19. *Ambigua intentio ita accipienda est, ut res salua sit actori. l.in contrahenda.132.in fin.ff.d.tt. Concordat l.si quis.66.ff.de iudicijs, hisce uerbis:* Si quis intentione ambigua uel oratione usus sit: id quod utilius ei est, accipiendum est.

20. *Quoties in actionibus aut in exceptionibus ambigua oratio est, commodißimum est id accipi, quo res, de qua agitur, magis ualeat quàm pereat. l.quoties.13.ff.de rebus dubijs.*

21. *Semper in dubijs id agendum est, ut quàm tutißimo loco res sit bona fide contracta: nisi cum apertè contra leges scriptum est. l. ubi est. 22. in fine. ff. d. tt.*
22. *In testamentis plenius uoluntates testãtium interpretamur. l. in testamentis. 12. ff. de reg. iuris.*
23. *Quæ in testamento ita scripta sunt, ut intelligi non poßint: perinde sunt, ac si scripta non essent. l. Quintus Mutius. 73. §. pen. ff. de reg. iuris.*
24. *De occultis non iudicat ecclesia. c. sicut. 35. §. fin. de Simonia. Hactenus generales præsumptionum regulas enumerauimus. Nunc sequuntur speciales certarum causarum regulæ.*

De causis pœnalibus.

1. *In pœnalibus causis benignius interpretandum est. l. factum. 197. §. fin. ff. de reg. iuris. Concordat c. in pœnis. 49. de reg. iuris, in 6. his uerbis;* In pœnis benignior est interpretatio facienda.
2. *Interpretatione legum pœnæ molliẽdæ sunt potius quàm exasperandæ. l. penult. ff. de pœnis.*
3. *Satius est impunitum relinqui facinus nocentis, quàm innocentem damnari. l. absentem. 5. in prin. ff. d. tt.*

De causa dotis.

In ambiguis pro dotibus respondere melius est. l. in ambiguis. 85. in prin. ff. de reg. iuris.

De

De causa libertatis.

Quoties dubia interpretatio libertatis est, secundum libertatem respondendum erit. l. quoties. 20. ff. de reg. iuris. Concordat l. in obscura. 139. ff. eod. tt. his uerbis: In obscura uoluntate manumittentis fauendum est libertati.

DE RELIQVIS ACTIONUM regulis. Cap. X.

HAEc sint dicta de præsumptionum regulis, si scilicet causa dubia sit, nec poßit probari. Quoties uerò de probatione quæritur, cui sit iniungenda: tunc ab onere probandi releuant præsumptiones. Quo casu aliæ sunt earum regulæ, quas uide lib. 2. & 3. Dialectices *meæ: item* M. I. R. *lib. 2. cap. 10. Restant nunc aliæ aliarum actionum regulæ, præsertim sententiæ ferendæ, de quibus sequitur.*

1. *Inaudita causa quenquam damnari, æquitatis ratio non patitur. l. 1. in prin. ff. de requirẽdis reis.*
2. *Sine culpa (nisi subsit causa) non est aliquis puniendus. c. sine culpa. 23. de reg. iuris, in 6.*
3. *Facti quidem quæstio est in potestate iudicantium: iuris autem authoritas non est. l. ordine. 15. in prin. uers. cum facti quidem. ff. ad municipalem.*

4. *Post absolutum dimissumq; iudicium nefas est litem alteram consurgere ex litis primæ materia.l.3.C.de fructibus & litium expensis.*

5. *Plenus uenter facilè de ieiunijs disputat. c. gloria.§.plenus.12.quæst.2.*

6. *Non Hierosolymis fuisse, sed Hierosolymis bene uixisse, laudandum est.d.c.gloria.§.penult.*

7. *Inimicitiæ bene loquendo extinguendæ.c.iniustum.§.homini.11. quæst.3.*

METHODI REGVLArum utriusq; Iuris finis.

RERVM ET VERBORVM *præcipuè memorabilium* INDEX.

de

INDEX.

FINIS.

BASILEAE, EX OFFICINA OPORINIANA, PER BALTHASAREM HAN, & HIERONYMVM GEMVSAEVM, Anno Salutis humanæ 1584. menſe Auguſto.

FINE